JURIS NATURAE
AC GENTIUM
ELEMENTA

AUCTORE

ANTONIO DE MARTIIS

IN USUM
SUORUM AUDITORUM
Mathematicum in morem adornata.

PARS SECUNDA
JURIS GENTIUM



NEAPOLI
EX OFFICINA MANFREDIANA
CUM PUBLICA VENIA.

MDCCXCV.

INDEX

CAPITUM.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus D. Aloysius Canonicus Elefante S. Th. Prof. revideat, & in scriptis referat. Die 14. Aprilis 1795.

PASCHALIS EPISCOPUS THIENENSIS V. G.

JOSEPH ARCHIEPISCOPUS NICOSIENSIS C. D.

UT tua jussa facerem, Princeps Eminentissime, quam lubentissime perlegi Opusculum inscriptum *Juris Naturae, & Gentium, Auctore Antonio de Martiis*. Quae hominem natura docuit officia, Auctor praeclarissimus, quem omnes in re praesertim philosophica maximi faciunt, tanta facilitate, atque rationum vi edisserere studuit, ut si ea attente versarint juris naturae Amatores, nihil erit, quod eos hac in re non assequi posse putem; ac licet ea, quae differit, diligentissime percurrerim, nusquam incidi in aliquid, quod fidei, morumque doctrinae adversetur, quin immo cum iis, quae Catholica tuetur Ecclesia, mirifice consentire omnia animadverti. Apposite tandem nonnulla adjecit laudatus Auctor Selectiora argumenta, quae percelebrem de falsiloquio, & modica usura (quam a Locupletibus aliqui per summam inscitiam exigi posse sentiunt) quaestionem omnino dirimunt; eo siquidem rationum robore utrumque cum naturali jure prorsus pugnare ostendit, ut merito quisque neminem ipso juris naturae peritiorem esse ferme dixerit. Quae cum ita sint, Opusculum, quod publico erit emolumento, typis edi posse censeo.

Eminentiae vestrae

Datum Neapoli 30. Julii an. 1795.

Obsequentissimus Humillimus
Aloysius Canonicus Elefante.

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur. Die 10. Augusti 1795.

PASCHALIS EPISCOPUS THIENENSIS V. G.
JOSEPH ARCHIEPISCOPUS NICOSIENSIS C. D.
V. J.

U. J. D. D. Vincentius de Luca in hac Regia Studiorum Universitate Professor revideat autographum enunciati operis, cui se subscribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium ordinum, & in scriptis referat potissimum, si quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, bonisque moribus adversetur, & si merito typis mandari possit. Ac pro executione Regalium ordinum idem Revisor cum sua relatione ad nos directe transmittat etiam autographum ad finem. Datum Neapoli die 3. mensis Junii 1795.

FR. ALB. ARCHIEP. COLOSS. C. M

S. R. M.

Quod diu multumque exoptatum fuerat, ut in jurisprudentiae naturalis institutionibus ea philosophandi ratio conferretur, quae & ad juris principia solidius firmanda, & ad officiorum praecepta accuratius deducenda apta satis foret & opportuna, id quidem in opere, cui titulus: *Juris Naturae, & Gentium elementa*, mira felicitate praestitit Vir clarissimus *Antonius de Martiis*, qui universum legum naturalium systema ex ordine Cosmico, mutuisque rerum nexibus descriptum, ab ipsa natura, ejusque Auctore Sapientissimo derivatum tam clara concinnaque methodo exhibet, ut quid unumquemque deceat, dedeceatque, quaeque sint adversus Deum O. M., nosmetipsos, & alios officia, facile quisque noverit. Opus sane praeclarum, & suo Auctore dignum est, quod cum Sacrae Majestatis jura nulla in parte imminuat, nec bonos mores attentet, ni secus Majestas tua jubeat, e re publica futurum censeo, ut in lucem emittatur. Neapoli Pridie Kalendas Julias 1795.

Addictiss. Obsequentiss.
Vincentius Maria de Luca

Die

Die 11. Mensis Augusti 1795. Neapoli.

Viso rescripto suae Regalis Majestatis sub die 1. currentis mensis & anni, ac relatione D. Vincentii Mariae de Luca de Commissione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regalis Majestatis.


Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli ac approbationis dicti Revisoris. Verum non publicetur nisi per ipsum Revisorem, facta iterum revisione affirmetur; quod Concordat, servata forma Regalium ordinum, ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum &c.

TARGIANI, PECCHENEDA, BISOGNI.

V. F. R. C.

Ill. March. Mazzocchi Praef. S. R. C., & caeteri Ill. Aular. Praefect. tempore subscript. impediti.

PASQUALI.




JURIS GENTIUM

ELEMENTA

PROLEGOMENA

DEFINITIONES

I.

1. *Uris gentium* nomine venit ipsum Naturae jus vitae hominum sociali, negotiisque societatum, atque integrarum gentium adplicatum.

COROLLARIUM.

2. Non differt itaque jus gentium a naturali jure, nisi solo objecto; nam & cognoscendi principio, & ipsis regulis, praeceptis, legibus unum idemque prorsus sunt. Sane homines vel singuli seorsum; vel prout in certas coaluerunt societates, spectari possunt: utroque in statu, Ratione duce, sua illis summus Imperator Deus

praescribit officia. Non sum nescius placuisse nonnullis jus aliquod gentium, quod *secundarium*, ac *voluntarium positivum* vocant, quale ex multarum nationum moribus, aut ex lege aliqua pluribus gentibus communi derivatur: verum haec gentium instituta vel minus proprie juris gentium esse dicuntur, ut idcirco ab aliis nationibus desuper sint habita; vel a naturali jure suam ducunt originem. Adeatur Grotius (*lib. II. de J. B. & P. cap.* 4., ac Pufendorffius *lib. II. de J. N. & G. cap.* 3.) Rectissime igitur Koehlerus *spec. jur. gent. I.* Jus gentium *jus naturale societatum* appellat.

II.

3. *Status* generatim est qualitas, per quam ens quodlibet modificatur.

SCHOLION.

4. Dicimus *e. g.* corpus aliquod modo in statu motus, modo in quietis statu versari, prout motus, aut quietis qualitatibus modificatur. Qualitates igitur, quibus modificatur homo, recte *status hominis* vocantur.

III.

5. *Status hominis physicus* is est, quo ejus vires animi, & corporis ab ipso conditore Deo modificantur.

SCHO-

SCHOLION.

6. Ad hunc ſtatum pertinet, quod alii ſint mares, alii foeminae; alii corpus recte formatum, ac robuſtum, alii monſtruoſum ac imbecille ſortiantur; aliis perſpicax, aliis vero hebes ſit ingenium.

IV.

7. *Status hominis moralis* is eſt, quo liberae ejus actiones per legem limitantur; iſque *connatus* eſſe poteſt, vel *adventitius*.

V.

8. Status moralis *connatus*, qui & *originarius* dici ſolet, is eſt, quem homo aliquo facto ſuo non elegit, ſed in eodem a natura ipſa conſtituitur, quique ſtatus moralis *naturalis* dicitur: *adventitius* vero, quem homo facto ſibi ſuo elegit; veluti ſi maritus eſſe velit, aut caelibem ducere vitam ſibi ſtatuat.

SCHOLION.

9. Quilibet homo naſcitur ratione, ac libertate praeditus, ceteriſque natura perſimilis, iiſdem indigentiis juribuſque inſtructus, appetitu ſeſe conſervandi perficiendique neceſſario incitatus: hinc vero neceſſaria quaedam officia adverſus Deum, adverſus ſeipſum, alioſque oriri diximus (§. 27. *lib. I.*), eaque connati ſtatus, ſeu naturalis ſunt propria, eademque ſervare obſtringitur homo *praeciſe* quia ho-

 mo

mo est natus. Quod si vero adventitium aliquem statum sponte sua sibi delegerit homo, veluti mariti, parentis, civis; liberae ejus actiones, prout ejus status indoles, & conservatio exigit, universali mundana lege limitantur. Rectissime itaque Pufendorffius (*lib. II. de offic. hom. & civ. cap.* 1.) moralem hominis statum in genere definit esse *illam conditionem in qua homines constituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum*.

COROLLARIUM.

10. Status moralis *personam moralem* constituit: est autem persona moralis subjectum omnium obligationum, atque jurium personae competentium (§. 110. *P. I.*); liquet inde naturalem statum nonnisi juribus singulorum connatis, eorumque connatis obligationibus determinari; adventitium vero juribus adquisitis, initisque facto suo obligationibus definiri.

VI.

11. *Status socialis* is est, in quo plures in societate vivunt. Est autem *societas* duorum pluriumve consensus in eumdem finem, eademque media ad praestitutum sibi finem obtinendum necessaria.

COROLLARIUM.

12. Quoniam plurium consensu initur societas, hinc socialem statum adventitium esse patet (§. 8.). Consensus vero expressus, aut tacitus esse potest (§. 333. *P. I.*), imo etiam prae-

praesumtus, qui habetur, quum aliquis ex ipsa rei natura consensisse praesumitur, vel saltem consensurus, si posset, ac saperet.

VII.

13. *Societas aequalis* ea est, in qua socii omnes tamquam pares communi consensu media ad finem consequendum necessaria inveniunt: *inaequalis*, aut *rectoria*, in qua aliqui de iis mediis soli dispiciunt, ceterisque obtemperandi obligatio relinquitur.

VIII.

14. *Societas civilis*, seu *Respublica*, vel *Civitas* est insignis hominum multitudo, nulli alii mortalium obnoxia, & sub communi imperio securitatis suae causa certis legibus consociata.

COROLLARIUM.

15. Non consistit ergo civitas in territorio, moenibus, urbibus, tectisque. Sic stetit Hebraeorum Resp.; quamdiu ipsi per deserta Arabiae loca sine certa sede, ac lare, absque moenibus & tectis quadraginta annis aberrarunt, donec in Palaestina certum sibi domicilium constituerent. Perstitit quoque Atheniensium Resp., occupata licet a Persis universa Attica terra, quamdiu perstitit classis, in quam sese receperat Themistocles cum universo populo, cui ipse jus dicebat, testatus proinde, sibi & solum, & urbem multo esse meliorem, donec sibi superessent ducentae armatae naves.

SCHOLION.

16. Quaevis societas veluti unam *personam moralem* constituit: eadem namque velle, eademque nolle omnium sociorum est (§. 11.); iisdem legibus non minus singuli, quam omnes reguntur. Quare & integra societas naturali jure obstringitur, quemadmodum singuli; & quae res, ac jura ad societatem pertinent, sociis sunt communia. Quare nec immerito personarum adfectiones tribuuntur societatibus, quae & *vivere*, & *aegrotare*, & *interire* dicuntur.

17. Naturalis status vel pro statu extra omnem societatem, vel extra civitatem sumi potest. Status extrasocialis esset omnium miserrimus. Finge hominum naufragio in desertam insulam projectum, ubi solas comites habeat feras; in ea solitudine omni aliorum ope destitutus ad omnia expavescens, ac tuta omnia metuens, nudus, suapte natura inermis; ad omnem fortunae contumeliam projectus post innumeras toleratas aerumnas brevi esset moriturus. Finge quoque hominem constitutum inter alios homines, qui per agros fusi nulla prorsus societate detineantur: hi vel mansueto esse ingenio, vel efferi, propriisque affectibus, vitiis, atque indigentiis, veluti totidem elateribus incitati supponuntur. Si primum; propriae imbecillitatis, atque indigentiae conscii ad suorum similium conspectum mira perfundentur voluptate, ad mutuosque congressus, nempe ad societatem ineundam ducentur, ac solitudinis status illico finietur. Si alterum; felicior sane esset primi hominis conditio, quippe qui a solis feris sibi pertimesceret: alius vero tot haberet hostes, quot

quot homines; ejusque status nonnisi formidinis, tristitiae, taedii, indigentiae, bellique esset status. Perpetuae namque aliorum de aliis suspiciones, diffidentia, studium aliorum vires subruendi, libido alios praeveniendi, aut suas res augendi, aliaque sexcenta essent in caussa cur vi ad vulnera, ad caedes convolaretur. In bene ordinatis societatibus, ubi patibula, rotae, gladii, feroces flammae, aliaque id genus supplicia terrorem ubique incutiunt, ab aliorum injuriis plane immunes esse non licet; quid ergo sperandum esset in media barbarorum hominum colluvie, ubi nullo supplicii metu cohiberetur improbitas? Nihil hic adjiciam de ejus status foeditate, ignorantia, barbarie, feritate, ubi belluarum more viveretur, atque homo homini esset lupus.

18. Neque ad rem ajunt aliqui, descripta hactenus incommoda vera quidem esse; at non tam naturali ipsi statui, quam hominum malitiae esse tribuenda, eaque potuisse evitari, si rationem sequi voluissent homines. Inanis est exceptio. Nam uti perspecte animadvertit Plato de Legibus L. VI., *hominem mansuetum animal esse dicimus. Porro si cum natura felici rectam quoque disciplinam fuerit assequutus, in mansuetissimum animal solet evadere: si vero non satis, aut non bene fuerit educatus, ferocissimum omnium, quae in terris nascuntur, animal redditur*. Similia profert Aristoteles *Polit. lib. I. c. 2. Uti perfectione suscepta optimum cunctorum animalium est homo; ita si alienus fiat a lege, & judiciis, pessimum est omnium animal*. Idem ad Nicom. VII.: *millies plura mala homo, quam bestia perpetraret*. Quae vero educatio; quae disciplina, quae leges obtigissent homini

in eo ſtatu, quem deſcripſimus? Profecto nulla.

19. Deinde extraſocialis ſtatus eſt contra hominis naturam: eſt namque fundamentalis naturae lex, colendam eſſe ac ſervandam cuivis homini adverſus alios pacificam ſocialitatem, indoli, ac ſcopo generis humani univerſim congruentem. Nam I. id habet homo a natura, ut ſit animal ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, per ſe egenum, ſine ſui ſimilium auxilio ſervari ineptum; a ſocietate vero nudus, & infirmus munitur, morborum arcentur impetus, ſenectuti adminicula ſuppeditantur, contra dolores parantur ſolatia: tolle ſocietatem; & unitatem generis humani, qua vita ſuſtinetur, conſcindes. Atvero eſt etiam homo malitioſum animal, petulans, facile irritabile, noxae inferendae aptiſſimum; quare ut ſibi bene ſit, amicabilem cum aliis ſocietatem, & humani generis ſcopo congruentem foveat, oportet. Qui autem ad finem eſt obligatus, ad media quoque obligari intelligitur; ad ejuſmodi ergo ſocietatem ineundam ab ipſa natura eſt obſtrictus. II. tribuit natura hominibus duo ſocietatis inſtrumenta, *rationem*, & *orationem*, quibus longius a ferarum natura abſumus; eſtque hoc vinculum, quod docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando conciliat inter ſe homines, conjungitque naturali quadam communione, quae incredibili nos voluptate complet, atque perfundit. Idipſum oſtendit habitus ipſe corporis. Nam cum ceteras animantes ad paſtum abjecerit natura, pronaſque illas effecerit, ſolum hominem quaſi ad amplexus erexit; oculi nimium arguti, quemadmodum animus ſit affectus, modo ſuo loquuntur; vultus internos indicat mores; vocis moderatio, orationis

yis,

vis, aliaeque res bene multae societatis sunt conciliatrices. 3. solitudinem adeo exhorremus, ut ne infinita quidem cum voluptate, rerumque omnium abundantia, scientiarum quoque ornamentis soli esse velimus. *Non est bonum, hominem esse solum*, ait Deus Genes. cap. 2. de primo homine bonis omnibus cumulatissime pleno. Ajebat de se Archimedes, si in caelum raperetur, astraque omnia coram spectare posset; nullam se inde voluptatem percepturum, nisi esset in terra, cui reversus haec quae viderit, narrare posset. *Quin etiam si quis ea asperitate est, & immanitate naturae, ut congressus, ac societatem hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis* Timonem *nescio quem accepimus; tamen is pati non possit, ut non adquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suae*, ajebat Tullius de amicitia. Quare falsum est, propter vitae necessitates dumtaxat initam esse societatem, sed a natura eam esse constat. 4. Descriptus ejusmodi status numquam, & nusquam, extitit, si veris standum sit historiis. Sane societas conjugalis, ac familiae est mundo coaeva, & ubique, ac semper suum habuit locum.

20. Sumi potest deinde status naturalis pro statu extra civitatem, qualem in segregibus familiis obtinuisse narrat historia; in iisque feliciter vivere potuissent homines, si justi honestique fuissent studiosi. At earum familiarum infirmitas, judiciorum imperfectio, fixae regulae defectus, aliaeque causae eosdem homines impulerunt, ut in majores illas coirent societates, in quibus nec aliorum violentiam, nec judiciorum defectum facile possent metuere. Sane princeps causa, ob quam homines in civitates secesserunt, fuit metus aliorum ab aliis; vel

vel securitas, quam sibi parare voluerunt. Duplex vero imminebat familiis periculum, externum unum ab aliis familiis, ne ab istis illae opprimerentur, despoliarentur, deque sedibus suis ejicerentur, praesertim ubi amoeniores, fertilioresque sortitae essent regiones; internum aliud ab ipsis ejusdem familiae hominibus, inter quos, cessante alicujus superioris potestate, jurgia, atque internecinae digladiationes non potuissent non exoriri. Externo periculo opponenda erant communia arma; interno judicia, ac poenae. Quum vero plures ejusdem indolis familiae potuissent vires suas adversus alias unire; hinc ad earum coercendam licentiam, frangendam potentiam, plures aliae familiae vires suas jungere, & sub communi imperio certis legibus consociari debuerunt, *h. e.* in civilem societatem coire. Quapropter crescente periculo, imperia quoque statim crevisse vidimus. Initio namque minimae fuerunt civitates, minimaque imperia, quae plerumque patriae limitibus finirentur; quum vero potentiores, oppressis vicinis, majora constituissent imperia, viciniores ob metum paullatim in majores coaluerunt Respublicas. Olim Palaestinam Reges fere triginta occuparunt; Graecia tot habebat regna, quot civitates: at vero excrescente vicinorum potentia, omnes illae divisae civitates in unam potentissimam abiere Remp. His accedit, quod ab impiis hominibus exordium sumpsisse civitates narrat historia. Primus Cainus ante diluvium civitatem condidit Genes. IV. 17., & post diluvium Nemrod robustus venator coepit esse potens in terra, nempe alios opprimere, regnoque Babylonis dedit initium; occasione quoque latrocinio-

rum

rum potentiſſima regna nata eſſe oſtendit Hertius (*Elem. prud. civil. I.*).

21. Interno periculo occurritur judiciis, ac poenis; quis vero in ſeparatis familiis jus dicet iis, qui ſunt e familia? Nempe familiae caput? At parentum amor ita eſt comparatus, ut raro praeſumi poſſit, eos ultricem juſtitiam ſancte adminiſtraturos; quam ſi adminiſtrare vellent, nil triſtius ac intolerabilius eſſet illis futurum, quam fatalem ſententiam adverſus liberos ferre. Nota eſt Legislatoris hiſtoria, qui quum legem tuliſſet, ut adulteris eruerentur oculi, unum ſibi, alterum filio adultero erui juſſit. Deinde ut amor parentum immodicus eſſe ſolet, ita aliquando & odium, ac proinde contingere poſſet, ut patres ſuo jure abuterentur, maxime novercalibus blanditiis, ac perſuaſionibus incitati; cujus rei exempla ſatis triſtia occurrunt in hiſtoria. Rurſus ſi inter diverſarum familiarum homines oboriantur quaeſtiones, quis judex ſedebit? ſunt namque ſegreges familiae inter ſe in naturali ſtatu, proinde aequalitatis, ac libertatis. Deinde quis dabit vim judiciis, ut iiſdem partes ſtent litigantes? Conſtituantur communi conſenſu arbitri, accedatque compromiſſum: at quia parum tuta per ſe ipſa probitas eſt, hinc quam facile eſt in alias naturae leges peccare, tam facile quoque eſt ab eo arbitrio diſcedere. Pariter juxta quas leges jus dicetur? Nimirum juxta naturae Leges? Verum ſic quoque defuiſſet regula juris fixa, & flecti neſcia, quam omnes agnoſcere teneantur, & ad quam omnium jura, & actiones expendi queant. Nam etſi prima juris naturalis principia, proximeque elicitae concluſiones evidentia nitantur; quamplurimae tamen

men occurrunt quaestiones circa bonorum proprietates, & mutuos contractus, quae obscurae esse non desinunt, & inter doctos agitatae. Quae etiam morum regulae satis sunt evidentes, corruptis hominibus tales non viderentur; hinc rursus rixae ac jurgia, unde ad vim armaque esset convolandum. Deinde naturae lex injurias quidem vetat, sed poenas speciales ac praesentaneas non definit; homines autem ita sunt comparati, ut praesentibus, proximeve imminentibus malis commoveantur, non vero futuris longeque remotis. Notissimus est Plutarchi locus de sera Numinis vindicta: *ultionem maleficio quamproxime adjunctam statim viam intercludere iis, qui quamplurimum malitia bonos successus habente utuntur. Nihil enim perinde atque dilatio justae vindictae injuria affectorum spes enervat, animosque eorum dejicit; contra improbos ferocia & audacia auget. Et hoc ipso mali sese ad flagitia capessenda exhortantur, atque excitant, quod malitia statim fructum maturum, & ante oculos situm praebeat; poena autem sero, & longe post fruitionem subsequatur.* Igitur praeter civilem statum nihil aliud securos praestare potuit homines. Narrat Herodotus lib. I. Medos ob metum sibi Regem constituisse Theocem, quum prius vicatim habitarent, atque ob virtutem, qua erant instructi, nullo superiore indigerent; Theocem vero terras cum securi circumiisse, ut homines, qui in alios essent injurii, statim supplicio afficeret. Refert Sextus Empiricus lib. II. adversus Mathem. Persas sapientissimos permisisse, ut mortuo Rege per quinque dies sine Lege viveretur, quo omnes intelligerent quantum afferat malorum imperii defectus, caedes, rapinas, aliaque dete-

deteriora secum vehens, atque ita deinceps sancte ac fidelissime custodirentur Reges. Internis itaque periculis aliter occurri non potest, nisi data legibus vi, auctoritate judiciis, inflictione poenarum: id vero in civili statu unice obtinetur. Igitur praeter civilem societatem nihil aliud securos praestare potuit homines.

22. Est igitur civilis societas a natura, quemadmodum a natura sunt medicamenta, sine quibus convalescere non licet, aliaque media conservationi necessaria, aut exquisite utilia; atque hoc sensu *politicum animal* rectissime dicitur homo.

23. Frustra itaque exaggerantur naturalis status commoda, perfectae nimirum *aequalitatis*: dignitatum namque discrimen sola invexit societas; *libertatis*, ut proinde nec imperio, nec subjectioni politicae, neque servituti fuisset locus, ubi humanae leges, magistratus, ac poenae exulassent, ubi nulla vectigalia, ac tributa imposita; *juris belli* demum, siquidem ubi cessant judicia, ibi quisque sibi gladio jus dicit.

24. At quamvis speciosis aequalitatis, libertatisque nominibus sibi, ceterisque blandiantur nebulones aliqui; scio tamen figmenta esse de mimo. Nam I. communi consensu homines civilem statum praetulerunt naturali, ut vix hodie reperiatur natio tam barbara, quae aliquam Reip. formam non adoptaverit, uti constat ex eorum relationibus, qui ignotas olim terras lustrarunt. Neque est adquiescendum eorum testimoniis, qui ubi regia palatia, satellitia, aulaeque splendorem minime aspexissent, nulla quoque ibi esse imperia suspicati sunt. Ita *e. g.* retulerunt de Cafris quidam itineratores; attamen Petrus Kolbius, qui diutius apud illos com-

commoratus fuit, eorum quoque regimen poneticum longa oratione describit. Vereor, ne aeque falsa sint, quae ex Sallustio, aliisque recitat Gronovius ad cap. I. Grotii de J. B. & P. exempla de Aboriginibus, Gaetulis, aliisque asperis incultisque populis, qui neque lege aut imperio cujusquam regebantur, nec in commune consultabant. Quamvis vero daremus vera esse ejusmodi exempla, quae paucissima sane sunt, eaque incultorum populorum; nullum tamen inde inferretur praejudicium universali omnium cultissimarum gentium consensui: earum autem vox naturae vox est. 2. Quia felicitas, quam in hac vita obtinere licet, alia non est, nisi minimis malis urgeri (§. 161. *P. I.*); jure merito itaque naturalis libertatis aliqua ex parte jacturam facimus, & imperio nos subjicimus, ut in tuto nostra vita sit posita, utque innumeris potiamur commodis communis legis, communis imperii, communis judicii ac potestatis exequutricis, interioris atque exterioris securitatis.

25. Gerras ergo germanas effutit Hobbesius (*lib. I. cap.* 1. *de Civ.*), ubi hominem societati civili ineptum esse ait, ad eamque sola disciplina aptum evadere. Tantum paradoxon his rationibus superstruit. I. Civiles societates sunt foedera, quibus sanciendis pacta sunt necessaria; pactorum vis ab infantibus prorsus ignoratur, eorumdem utilitas ab indoctis non intelligitur; ad societatem itaque sunt illi prorsus inepti. 2. Societatis vinculum aliud non est, nisi mutua benevolentia: at vero homo si hominem naturaliter amaret, omnes aeque amaret, cum iisque societatem iniret, non vero cum iis, a quibus aliquid honoris, commodive sibi obventurum speraret; non igitur socios,

cios, sed suum sibi honorem, commodumve quaerit. 3. Quo consilio congregentur homines, cognoscitur ex iis, quae faciunt congregati. Si enim coëant commercii causa, quisque non socium, sed rem suam colit: si officii causa, nascitur forensis quaedam amicitia, plus habens mutui metus, quam amoris: si animi causa, quisque primus esse gestit in risu excitando, & comparatione alienae infirmitatis, vel turpitudinis, ipse sibimet commendatior vult evadere; aliena dicta vel facta damnantur, & dicteriis traducuntur; neque ipsis confabulantibus parcitur, simul atque e concessu exierint: demum si Philosophiae causa coeatur, omnes magistri haberi volunt. 4. Voluntatis objectum proprium est cujusque bonum; in omni ergo societate id unice quaeritur, quod unicuique congredientium bonum sibi esse videtur; omnisque congressus, qui nonnisi spontaneus esse potest, vel egestate mutua, vel captanda gloria, non autem benevolentia conciliatur.

26. Argumenta sunt nihili. I. Etenim infantes & indoctos *passivae*, ut ita dicam societati destinat natura, quia dum illos vult conservari, alienae opis indigos omnino efficit (§. 19.). Ceterum hoc argumento efficere potuisset Hobbesius, non inesse hominibus naturalem rationem, nec generandi potestatem: sunt enim in infantibus involutae eae facultates, amentes vero ac steriles per totam vitam iisdem destituuntur. 2. Quamvis hominis mutua adunantur benevolentia, naturalis tamen ille amor variis modis augeri potest ex familiaritate, ex naturalibus conjunctionibus, ex communibus studiis, ex acceptis beneficiis, ex variisque relationibus: hinc amor conjugalis, parentum caritas

erga

erga filios, liberorum pietas, amicitia efficiunt, ut homines in alienis timeant periculis, in rebus aliorum secundis tamquam in suis laetitia gestiant. Quod si aliqui prae aliis diligantur, argumento est, alios istos quoque amari. 3. Longa illa oratio aliud non evincit, nisi quod vitia quoque humanae naturae esse soleant societatis vincula, & quod homines a virtute alieni saepe congrediantur; non vero ostendit, nullam esse in homine philanthropiam. 4. non abnuimus hominem summo studio sua prosequi commoda: at maxime sibi commodum esse dicimus alios amare, ab iisque vicissim amari; bonum honestum prosequi, quod specie quidem sua ipsum per se delectat; beneficentiae, clementiae, fidei, justitiae, commiserationis, magnificentiae laude commendari: haec vero omnia hominem societati ineundae aptissimum esse demonstrant.

27. Paradoxis Hobbesianis contraria opposuit paradoxa Jacobus Roussous in discursu super hominum inaequalitate, ubi sylvestrem hominem felicissimum, civilem contra summe infelicem describit: en veluti in nucleo integrum ejus systema. Principii loco statuit, veterem esse errorem, ubi naturalis ac sylvester homo consideratur instar civilis hominis, qui corruptissimus in societate evasit ex naturalium facultatum explicatione: auctis namque cognitionibus, augentur quoque appetitus, hinc & passiones, quae sunt irritamenta malorum, atque indigentiae in immensum multiplicantur. His stabilitis, ait I. felicitatem esse positam in indigentiarum aequilibrio cum viribus, quarum ope illis satisfacere valemus: si satisfecerimus, habebitur voluptas; si secus, aegritudo, molestia, mi-

miseria enascetur. 2. Homo naturalis tres solum experitur indigentias, nutritionis scilicet, quietis, diversique sexus: aliud namque non cognoscit, quum in eo ratio nullatenus sit explicata. 3. Tribus iis indigentiis nullo negotio potis est satisfacere. Nutritioni quidem facile satisfaciet parabili eo cibo, quem ubique offert tellus, herbarum nempe, radicum, glandium, fructuumque; nec enim novit ille exquisita obsonia, ac dapes, quibus nos vescimur, quaeque sanitatem evertunt, properantque mortem. Nullum ei facessent negotium corporis nuditas, nec quaelibet aëris intemperies: siquidem ab infantia adsuetus haec experiri, robustissimas ac bene obduratas sibi efficiet fibras, quasi amplius pati nescias; suarum virium exercitio agilissimus factus modo volucris instar venti fugae se dabit, modo manibus pedibusque reptans proceras conscendet arbores, ad omnem strepitum intertremiscens; si feret necessitas, unguibus pugnabit, praegrandia saxa protrudet, ut sibi consulat. Quieti satisfaciet, modo sub dio, modo sub patulis quercubus, aliquando sub antris fessum declinabit corpus. Mares demum, foeminaeque fugitiva societate venerem explebunt. Felicissimus ergo naturalis homo. Civilis homo contra in societate emollitus ex relatione ad innumeras res extra se positas plurimas sibi fabricavit indigentias, quarum quidem tertiae aut quartae vix parti satisfacere valet, ex ipsa rerum limitatione; hinc vero absque numero aegritudines ac dolores. Accedunt passiones ac vitia, quibus summe improbus evadit, unde novae aegritudinum scaturigines. Hactenus desperatarum causarum patronus.

28. Belle! Ergo brutus homo (nam sic ille

loquitur) prae homine ratione utente felicissimus est? Ergo infaustissimum rationis munus nobis elargita est natura, quippe quo vitiosi, miserique evadimus? Ergo satius fuisset belluinam agere in sylvis vitam, quam in civitatibus humanitate perpolitam? Quis heec sibi concoquet absurda? Quam bene huc quadrat illud divini Vatis: *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*; imo, Roussoo judice, deterior iisdem factus. At resumamus quae ille disputat.

29. Corruptissimus evasit homo in societate ex naturalium facultatum explicatione: id primum falsum esse ajo, ac divinum rationis munus omnium bonorum tam physicorum, quam moralium fontem esse statuo. Rationi debemus scientiarum atque artium inventionem, veluti Astronomiam, Architecturam, Agriculturam, Nauticam, Botanicam, Medicinam, Chemiam, Gnomonicam; deinde artes sartoriam, sutoriam, lignariam, ferrariam, pecuariam, aliasque multas; earum praesidio felicem commodamque vitam degimus; iis vero amotis miserrime tabescer emus. Rationi quoque debentur bene institutae civitates, sanctaeque earum leges, quae ab internis, externisque insultibus tutos nos faciunt, pacificam rerum nostrarum possessionem tuentur, aliaque innumera nobis procurant commoda. Rationi etiam debentur justi injustique, decori honestique, turpis & iniqui principia, sine quibus vita ferarum viveremus; quippe quae tota instinctibus, inclinationibus, passionibus, rerumque extra nos positarum impressionibus consisteret: contra vero omnia, quae nobis proveniunt mala, nonnisi ex aspernatione rationis proficiscuntur.

30. At-

30. Atvero auctis cognitionibus, appetitus quoque, ac passiones, necnon indigentias augeri oportere ait Roussous. Id quidem verum est: at appetitus ac passiones ratione regentur. Deinde notum est illud, non a solis cognitionibus, sed & a propriarum virium sensu excitari appetitus: ruricola *v. g.* agri sui incrementum optabit, neque ei veniet in mentem Advocati aut Praetoris commoda desiderare. Artifex benigniorem in statu suo fortunam experiri cupiet, non vero togatum se esse unquam ambiet. Atque in hoc repositum esse censet illud voluptatum atque aegritudinum inter omnes pene homines aequilibrium auctor anonymus libri *de la Nature*. Demum si in societate plures oriuntur appetitus, plures quoque suppeditantur modi, quibus iisdem satisfieri queat.

31. Brutus homo tribus solis subjicitur indigentiis. Esto. Iisdem vero facillime ab eodem satisfieri haud facile concesserim. Nam I. vaga venere in immensum excrevisset illud hominum genus; iisque nutriendis sufficere minime potuissent soli ii fructus, quos tellus sponte sua ferebat; hinc vero male suada fame incitati quaquaversum vagantes tantum habuissent, quantum manu ac viribus capere, aliisve eripere potuissent. Adde veneris stimulos; & habebis duo illa irritamenta, quibus animantes vel mansuetissimae evadunt ferocissimae; ut idcirco ille hominum status nonnisi belli status fuisset, non vero pacis, quemadmodum suadere studet Roussous. Illud deinde scifcitor, nullamne unquam accepisset alter ab alio injuriam? nullaene unquam inter eos exortae fuissent suspiciones? Si ita est; oh sanctissimum animalium genus! at eccur jugiter (§. 27.) intertremiscens? Quod si non

 ita;

ita ; en novae bellorum caufae . 2. Ait ille, brutos homines longo ufu incommodis adfuefcere. Id vero non eft indigentiis fatisfacere, fed iis ferendis obcallefcere; jugis proinde exiftet aegritudo. 3. nunquamne aegrotabunt ii homines? at quibus utentur medicamentis? aut quis eis fuppetias feret? Vah!

32. Civilis homo pluribus ac majoribus fubjicitur indigentiis. Efto: at focietas ipfa dat media, quorum ope iifdem fatisfaciat, ac fatisfaciendo voluptate perfundatur. Numquid quia civilis homo vario veftium apparatu variis tempeftatibus fuum aptat corpus, nuditatemque tegit, idcirco infelicior eft bruto homine, qui äeris inclementiam nudus fentire cogitur, donec fibrae pene fiant infenfibiles? Numquid quia civilis homo diverfo ciborum genere ventri confulit, idcirco infelicior eft homine bruto, qui radicibus vix, aut ne vix quidem fuam explet famem? Accedit, quod fi brutus homo prae fibrarum ruditate ad ingratas fenfationes quodammodo fit infenfibilis, ad gratas quoque excipiendas infenfibilis evadit. Quales igitur percipiet voluptates?

33. Atvero civilis homo vix quartae, aut tertiae fuarum indigentiarum parti occurrere valet. Falfo. Illud quidem verum eft, non poffe civilem hominem fuis omnibus indigentiis fatisfacere; at neque id brutus homo facere valet (§. 31.). Accedit & illud, quod civilis homo tum rationis, ac religionis ope, tum aliorum exemplo aequanimiter fua feret incommoda; bruto homini contra nulla ejufmodi fuppetunt praefidia. Hunc modo calculum inftituere libet. Subjiciatur civilis homo triginta indigentiis, folifque viginti valeat fatisfacere: viginti quoque

vo-

voluptatis gradus experietur, ac decem aegritudinum gradus percipiet; demantur aegritudines decem a voluptatibus viginti, supererunt decem voluptates. Homo brutus solos tres voluptatis gradus experiri ponitur (quod tamen nos falsum esse diximus); civilis homo igitur prae homine bruto felicior existet. At vereor, ne aequo nimius fuerim prolixus; quae sunt meliora percurramus. Interim legantur quae nuperrime scripsit amicus noster Marcianus di Leo, vir in omnigena litteratura attritus, in Pöemate vere aureo, *Il Tempio della Sapienza* Cantu VI., digno quod sub auspiciis Serenissimi Principis Hereditarii prodiret; quodque communibus votis jamdiu expetitum universali plausu exciperetur. Sospitet eum Deus ad magna natum; nocturna diurnaque manu opus illud versent studiosi juvenes, qui veram sapientiam addiscere gestiunt.

34. Quia hominem in statu sociali positum considerare decrevimus, duas in partes nostram tractationem tribuemus, in Oeconomicam nempe, ac Politicam. Societatum simplicissimae sunt, quae intercedunt inter conjuges, inter parentes ac liberos, inter dominos ac servos; atque ex tribus hisce coalescit Domus, seu Familia, de quibus agit Oeconomica: ex familiis vero conflatur Civitas, seu Respublica, de quibus agit Politica.



SECTIO I.

OECONOMICA

CAP. I.

De Societate conjugali.

DEFINITIONES

I.

35. *Conjugium* eſt perſonarum diverſi ſexus ſimpliciſſima ſocietas procreandae educandaeque prolis cauſa mutuo conſenſu inita.

II.

36. *Polyandria* eſt unius foeminae cum pluribus ſimul viris conjugium.

III.

37. *Polygamia* eſt unius viri cum pluribus ſimul foeminis conjugium.

IV.

38. *Vaga venus* eſt omnis impudicus complexus, qui explendae libidinis cauſa, non vero procreandae educandaeque prolis cauſa initur.

39. Conjugium ſolus facit mutuus conſenſus (§. 326. P. I.). Hinc quamvis Romani multos habe-

haberent nuptiales ritus, principium tamen servarunt, *consensu fieri nuptias*. At ejusmodi consensus inter personas diversi sexus intercedat, necesse est: id namque requirit conjugii finis, qui non est alius, nisi sobolis procreatio, commodaque educatio. Voluit quippe Deus, ut humanum genus a se conditum esset simul ac bene esset, ac proinde ut nova sobole reficerentur damna, quae illud patitur in iis, qui debitum naturae quotidie reddunt: si secus foret, humana gens esset unius aevi turba, ac in semet rueret. Hinc & diversi sexus personae sunt constitutae, iisque procreandi appetitus est inditus. Ut vero sit ac bene sit nova soboles, quae exhaustum genus restituit, nedum procreari, sed & educari indiget: parum namque interesset humani generis liberos gigni, si postea negligerentur, aut male instituerentur, ut commoda humani generis membra esse nequirent. Rem philosophice expressit Juvenalis Sat. 14.

Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas.

Quare sapientissimus Legislator Lycurgus educandi curam publicam esse voluit, omnibusque Laconum adolescentibus unum ex summis Magistratibus praefecit, cui *paedonomi* est inditum nomen, cuique plenam potestatem concessit pueros colligendi, eosdemque puniendi graviter, inspectanti an quis nequiter agat. Hunc etiam finem osten-

ostendit insitus parentibus erga liberos amor, qui etiam in brutis sese exserit, adeout haec foetum non deserant, nisi postquam educatione amplius non indigeat; ubi notatu dignum est, in animalibus, quae debilia nascuntur, utrumque parentem concurrere ad educationem, in reliquis matrem dumtaxat. Sunt ergo procreatio, atque educatio duo primarii conjugii fines, ut proinde abortio iisdem finibus recta fronte adversetur. His addi debet vitae societas, mutuum subsidium, solatium & auxilium quoad officia, praesertim domestica: hunc tamen esse secundarium conjugii finem vel inde patet, quod ille alio etiam modo, quam conjugio, posset obtineri, *e. g.* societate domestica. Secundarius hic finis dat rationem sufficientem, cur conserventur nuptiae inter personas procreationi habiles initae, postquam inhabiles evaserint.

40. En igitur veluti in quadro positum Naturae institutum. Diversos sexus illa effecit; utrisque insignem conjunctionis appetitum indidit, haud exiguam quoque adjecit voluptatem, ne homines a conjugii oneribus atque incommodis absterrerentur. Miros quoque inseruit viris ac foeminis amores, eorumque societas jucundissima evadit, ut ad communem vitam facti plane videantur. Jus in corpora, longa prolis infantia, ac diuturnior ejusdem institutio, communis sobolis cura amicitiam omnium arctissimam constituunt, communemque vitae consuetudinem: omnis autem fida amicitia debet esse perpetua; secus vera esse definit. Sed & utilissima est societas. Nam ex una parte vir muliere audacior ac fortior sub dio laborando, navigando, rusticando, negotiando, militando necessarias facultates adquirere valet; domum illatas ac congestas

ſtas mulier imbecillior ac timidior cuſtodit: metus ſiquidem ad diligentiam cuſtodiendi plurimum confert. Natura igitur virum mulieris, hanc illius indigere voluit, quoniam quod alteri deeſt, praeſto plerumque eſt alteri. In hac demum ſocietate mortalibus adiutoria ſenectutis, nec minus propugnacula praeparantur. Hujus iconis fundus eſt a natura, quamvis a peccato valde fuerit corruptus (1).

41. Quoniam providit ſummus Mundi imperator Deus, ut nonniſi matrimoniis ſubſiſteret gens humana, dubitare non licet, quin naturali jure matrimonium praecipiatur. Eſt autem haec obligatio reſpectu totius generis humani abſoluta, *h. e.* tenetur humanum genus matrimonium conſervare, per illud liberos procreare, procreatos educare: ſecus fini creatoris contrairetur. Sententia

---

(1) Abſtinui ab iis, quae de conjugii primaeva inſtitutione tradunt divina eloquia, ne in alienam meſſem immittere falcem viderer. *Geneſ.* 11. 21. *ſeqq. legitur*. „ Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam; cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea; & aedificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam; hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; haec vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhaerebit uxori ſuae. & erunt duo in carne una „. Similia repetuntur *Matth. XIX.* 5. & *Marc. X.* 7. *B. Hieronymus epiſt. lib. II. ad Demetriadem epiſt.* 18. *Quamobrem & vas electionis de Virginibus ſe dicit Domini non habere praeceptum; quia contra naturam, imo ultra naturam eſt, non exercere quod nata ſis; interficere in te radicem tuam, & ſola virginitatis poma decerpere*. Et ad *Epheſ. V.* docetur hoc eſſe myſterium unionis Chriſti cum ſua Eccleſia; *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*.

tentia Judaeorum fuit, teste Seldeno de jur. nat. & gent. secund. discipl. Hebr. singulos quosque homines ad generandum aptos, ad ineundum quoque matrimonium obligari; attamen absurde. Nam illo naturae praecepto, quod nonnisi mutui praesidii est, non singulos determinate homines, sed universitatem indeterminate ligari vel inde patet, quod etsi contingat, multos a nuptiis abstinere, nullum tamen adhuc fuit periculum, aut deinceps pertimescendum videtur, ne humana gens intereat, eo quia semper maximus hominum numerus ad nuptias properat. Finis autem Creatoris non est alius, nisi ut humana gens subsistat; conjugii ergo lex hominum universitati indeterminate est imposita, estque mutui subsidii lex. Deinde ea lex affirmativa quum sit, obligare desinit, si agendi desit facultas; vel si quis non possit salva felicitate, tranquillitate, innocentia sua uxorem ducere, vel si utilior humano generi sit futurus, ubi castum caelibatum elegerit. Accedit, quod plures contrahendis conjugiis non modo nullam sibi, & humano generi utilitatem, sed & detrimenti multum essent adlaturi: tales sunt quidam capite censi, nullaque intructi arte; aut imbecilli mente vel corpore, qui prolem alere nequeunt, aut educare nesciunt. Nec me movet quod aliqui urgere solent, neminem communi oneri se subtrahere debere: nam id verum est, si alioquin detrimentum existeret, vel si onus illud meliori omissione non compensaretur. Praeclare pro more suo rem paucis absolvit *S. Thomas* 2. 2. *q.* 152. *art.* 2. *ad prim. Hoc praeceptum non respicit singulos, sed multitudinem hominum, quam necessarium est non solum multiplicari corporaliter, sed etiam proficere spiritualiter. Quocirca satis providetur huma-*

humanae multitudini, si quidam generationi carnali operam dent; quidam contemplationi divinorum vacent, ad totius humani generis pulchritudinem ac salutem: sicuti etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant; quae tamen omnia debita sunt multitudini.

42. Qui duobus primariis conjugii finibus impares se sentiunt; eorum nullum irritumque est conjugium. Quare a matrimonio arcentur eunuchi, spadones, iique omnes, quorum nota est impotentia ad procreandum; quod si incerta ea sit, vel occulta, nec omnis spes curationis evanuerit, constabit matrimonium, donec res ad liquidum sit perducta. Quid ergo de senum conjugiis? Tolerandum est matrimonium viri senis quidem, sed adhuc vegeti, cum juvencula muliere; quia inde sobolem sperare licet.; quamvis plerumque male conciliatum par esse soleat. At quod effoeta anus ac decrepita, cujus tres sunt capilli, quatuorque dentes, adolescentulum demens cineribus suis prurire, vel alteri seni viro nubere quaerat, intolerandum prorsus videtur; eaque matrimonia recte *honoraria* appellat Pufendorffius, eo sensu quo honorarii dicuntur, quibus titulus muneris sine functione datur. Neque ad rem facit, quod secundarius matrimonii finis possit habere locum: id namque verum est, ubi finis primarius fuerit obtentus (§. 39). Eadem ex causa arcendi sunt pueri, imo & adolescentes, quorum vel non est tantus vigor, ut procreando sint habiles, vel tanta virtus ac prudentia, ut sobolem alere, atque educare possint. Buffonus in hist. nat. puellas ante 17, vel 18 aetatis suae annum, adolescentes ante 20, vel 22 annum perfectam corporis explicationem non adqui-

adquirere statuit; haec itaque aetas plene adulta videtur esse nuptiis destinata : nulla siquidem planta, nullum animal perfectas plantas, aut animantia gignit, nisi ubi ad fixum a Natura statum pervenerit. Hinc sapientissimus Lycurgus juvenculis, juvenibusque potestatem ademit nuptias contrahendi, quum ipsis lubitum esset; ac nonnisi dum vigerent corpora, matrimonia iniri jussit. Verum perfecta corporis explicatio pro climatum ratione, aliisque de causis variare potest.

43. Nec minus est evidens, vagam venerem (cujus varias species ac nomina ignorare satius est) naturae juri adversari, quippe quae fini Creatoris repugnat, nempe liberorum procreationi, atque educationi, quam non intendunt nefandae Veneris amatores, sed suam dumtaxat libidinem explere cupiunt. Hi quippe sobolem procreare nolunt, procreatam educare negligunt; ac proinde repletur orbis hominibus inutilibus, male moratis, ad omne scelus proclivibus. Deinde repugnat ea Venus amoris principio: nam qui extra legitimum matrimonium filios procreant, eosdem negligendo infelicissimos esse faciunt. Demum quia omnis ordinis perturbatio naturae juri recta fronte adversatur (§.27.50.*P.I.*), ac velle frui utendis, & velle uti fruendis maxima & prima inordinatio est; idcirco qui libidinem suam explere volunt vagam venerem eligendo, naturalem ordinem perturbant: sistunt enim in Venere tamquam in fine ultimo, quum sit illa ut medium a Creatore destinata. Hinc vero plura consequuntur. Primum est, non a culpa omnino excusari eos, qui matrimonio utut legitimo solius voluptatis causa utuntur. Alterum est, illicitos esse furtivos amores, ac lenocinia, quippe quae ad ne-

nefandam venerem pelliciunt. Tertium eſt, illicitum eſſe acceſſum viri ad uxorem quo tempore illa gignendo eſt impar. Quartum eſt, vetitum eſſe omnem nefandum congreſſum viri ſoluti cum muliere ſoluta, licet ambo fuerint ſui juris, ultroque conſenſerint: evitari namque nequit ordinis perturbatio. Quintum eſt, toto caelo a vero aberraſſe Platonem, qui in ſuam Rempublicam introduci volebat uxorum communitatem, ac per prolem neutri parenti cognoſcendam refici civitatem. *Si enim omnes omnium fuerint & mariti, & patres, & uxores, & liberi: quae confuſio illa humani generis eſt? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diligit, niſi habitaverint ſemper una, niſi devota mens, & ſervata invicem fides individuam fecerit caritatem?* ſcite ſcribit Lactantius. Deinde incerta proles a quo aleretur, & educaretur? ubi eſſet naturalis illa caritas parentum in liberos? Sextum eſt, rationi omnino refragari polyandriam, quippequa proles incerti patris evadit. Ultimum eſt, omnem ſeminis emiſſionem extra conjugii uſum libere ſuſceptam juri naturali refragari.

44. Sed & polygamiam naturali jure haud probari oſtendit ea conjugii icon, quam §.40. dedimus. Ac 1. polygamia haud leve offert educationi obſtaculum, quia Patris affectum in filios tori inaequalis diſpeſcit; exhaurit quoque facultates alendae tam numeroſae ſoboli vel in opulentiſſimis familiis vix ſuffecturas. Deinde quaenam inter plures uxores concordia? quae invidia, zelotypia, aemulatio, aliaeque ſexcentae cauſae quotidie inter ſe colliderent? Nonne una alteri venuſtiori, juvenculae, foecundiori, amabiliori invideret? Nonne una alterius liberos Patri cariores novercali odio proſequeretur, ſuiſque inſti-

ga-

gationibus Patri exosos reddere ſtuderet? Euripides Andromache v.464., & ſeqq.

Nunquam geminos lectos laudabo mortalium,
Neque liberos, qui habent diverſas matres,
Litem aedium, & triſtes dolores.

Triſtia haec exempla viderunt vel moratiſſimae familiae Abrahami, & Jacobi Geneſ. XVI. XXI. XXIX. 2. frigeſcit conjugum amicitia: per varias namque Veneres viri caritas diſperſa torpeſcit. 3. tollitur inter conjuges aequalitas, atque inde profluens unius partis felicitas: uxor ſiquidem ſui corporis poteſtatem nonniſi uni viro tribuere poteſt, quum vetita ſit polyandria: vir autem poſſet. Appoſite Plautus in Mercatore Act. V. Sc. I.

Nam uxor contenta eſt, quae bona eſt, uno viro:
Qui minus vir una uxore contentus ſiet?

45. Neque me quidquam commovent, quae proferre ſolent polygamiae patroni. Ajunt I. eam conformem eſſe primario matrimonii fini, nempe ſobolis procreationi. Verum non facile id admiſerim: viri namque vires per multas veneres detritae eumdem procreando imparem efficiunt. Deinde quum aeque primarius conjugii finis ſit educatio, eaque haud facile in polygamia obtineatur, eo nomine reprobanda videtur. Ajunt 2. uxoris ſterilitatem, aut ejus intolerabiles mores ſatis ſuadere ut polygamia monogamiae praeferatur. At praeterquamquod id perraro evenit, ac generalis lex univerſale bonum,

non

non vero accidentarias aliquas species respicit (1); estne certum, uxori sterili, maleve moratae aliam foecundam ac modestam superinduci? Quid si pro una plures furiae, pluresque Medeae domum exagitent? Ajunt 3. multas gentes, ipsumque judaicum populum polygamiam probasse, hodieque probare Turcas, aliosque populos orientales. Verum his populis facile opponi possunt innumerae aliae gentes politiores, & humaniores, quibus displicuit polygamia; Deique populus ex divina dispensatione plures duxisse uxores dicendus est; neque mos Turcarum ad rem facit; apud illos namque uxores plerumque parum ab ancillis differunt.

46. Sed & indissolubile sit conjugium oportet (§. 39). Id namque liberorum educatio, mutuum adjutorium, amicitiae indoles expostulare videtur. Sane vir corpore uxoris usus est, donec illa juvencula erat, venusta, ac speciosa, quaeque parentes suos relinquere non est verita, ut viro suo uniretur, eidemque sui corporis copiam faceret; iniquum ergo est viro uxorem grandaevam repudiare, eo nempe tempore, quo alienae opis maxime est indiga, aliisque haud facile placere potest. Fidelissimam ancillam, quae annos plurimos sancte servivit, dimittere iniquum fuerit; quanto magis uxorem, quae una caro facta est cum viro, ejicere contra bonos mores fuerit; ideoque inordinatum? Equidem liberi, qui ex conjugio nascuntur, parentes colligant mo-

(1) *Id quod cadit sub Legis determinatione judicatur secundum id, quod communiter accidit, & non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere*, scribit D. Thomas 2. 2. q. 154. a. 2.

modo indissolubili; habet enim uterque parens eamdem, & individuam cum prole necessitudinem, quam mutari necesse est, sublata parentum societate. Vidit hoc Claudianus in Eutropium lib. I.

Foemina cum senuit, retinet connubia partu,
Uxorisque decus Matris reverentia pensat.

Deinde liberis mali exempli res esset, si Matrem instar ancillae domo ejici viderent, neque debitam servarent reverentiam ei, cui animam debent.

47. Intolerabilis ergo erat divortiorum licentia apud Ethnicos, qui facile repudia dabant uxoribus aut iracundiae motu, aut alia quavis mentis perturbatione perciti, aut ob tristem casum a nemine mortalium praestandum, communium nempe liberorum interitum; aut ob infirmam valetudinem, deperditamque faciei venustatem. Pulchre Juvenalis Satyr. VI.

Cur desiderio Bibulae Sartorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugae subeant; & se cutis arida laxet;
Fiant obscuri dentes, oculique minores:
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi;
Jam gravis es nobis, & saepe emungeris, exi
Ocyus, & propera, sicco venit altera naso.

Sane isthaec divortiorum licentia indecentissima est & noxia, familiarum, civitatumque decori adversa, uti ostendit Lockius de Gubernatione Civili cap. VII. Hinc Augustus legem Papiam, qua ejusmodi coercebatur licentia, suffulcire, & gravioribus poenis munire coactus fuit, ne Resp.
dis-

diffolveretur. Juvenalis Satyr. VI. meminit uxoris, quae quinquenni fpatio ob repetita crebrius divortia octo maritos habebat.

Sic crefcit numerus, fic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos.

Haec divortiorum frequentia prolem reddit incertam, ideoque primario matrimonii fini adverfatur. Intolerabile quoque erat matrimonium amazonicum, quo nempe utebantur Amazones (fi tamen vera funt quae de iis narrantur), quae folius prolis fufcipiendae caufa cum viris congrediebantur, ac praegnantes factae maritos illico abs se fegregabant, quin & ad fervilia vel ancillaria officia adigebant. Uxores theatrales ejufmodi mihi effe videntur.

48. Duo hic paullo difficiliora occurrunt difcutienda. Primum eft, num mutuo confenfu diffolvi queat conjugium, non fecus ac reliqui contractus. Alterum, num diffolvi queat, ubi una pars juftas dederit caufas, veluti malitiofa defertione, moribus fuis intolerabilibus, adulterio. Primum facile eft definire: nam quia matrimonium perpetuum fecit Natura, ordini adverfatur ejufdem diffolutio; neque adverfus ordinem conjugibus aliquid moliri licet. Alterum fic definio; quoniam recenfitae caufae nonnifi ex accidenti, atque ex hominum improbitate habent locum, generali Naturae Legi derogare minime valent; quod fi valerent, eadem hominum improbitas facile omnia, vel pene omnia diffolveret matrimonia. Quare innocens pars alteram ream mulctare poterit dimiffione, non vero conjugalis vinculi diffolutione. Nifi id ita effet, pars rea ex delicto fuo commodum ferret, atque in-

 fini-

finitis adulteriis, ac malitiosis desertionibus fieret via, quia per haec illicita facile matrimonia possent dissolvi. D. Hieronymi est hoc argumentum in cap. 19. Matth.

49. Non levis quoque est quaestio, num ex naturae praescripto nuptias impediat cognatio, & affinitas. In primo consanguinitatis gradu inter ascendentes ac descendentes, puta inter matrem ac filium, patrem filiamque vetari nuptias naturali lege nullus dubito. Nam licet inter eas personas obtineri queant matrimonii fines; id tamen fieri nequit sine foedissima respectuum, proinde ordinis perturbatione. Enimvero familiaritas conjugalis elidit auctoritatem Patris, filiaeque observantiam; conjugalis aequalitas matris eminentiam, filiique subjectionem tollit; patria potestas in filio, aut materna in filia regimen familiae enervat: fratres inter, ac sorores, omniaque susque deque vertuntur. Viderunt hoc absurdum & gentiles; quare Ovidius Metamorph. X. Myrrham ita loquentem inducit

Nec, quod confundas & jura, & nomina sentis?
Tunc eris & matris pellex, & adultera patris?
Tunc soror gnati, genitrixque vocabere fratris?

VETUS QUOQUE EPITAPHIUM DE HERSILO, AC MARULLA.

Hersilus hic jaceo, mecum Marulla quiescit,
Quae soror, & genitrix, quae mihi sponsa fuit.
Vera negas, frontemque trahis, aenigmata Sphingis
Credis? sunt Pythio vera magis tripode.
Me pater e nata genuit; mihi jungitur illa:
Sic soror, & conjux, sic fuit illa parens.

De

De Parthis ita oquitur Lucanus

Cui fas implere parentem,
Quid rear esse nefas?

Allegari in hanc rem solent quaedam exempla, unde constat, bruta quoque animantia ab ejusmodi commixtionibus abhorrere. Extat apud Aristotelem de hist. animal. cap. 46. celebris narratio de camelo, & equo scythico, quorum ille curatorem, a quo cum matre operta commissus erat, delapso operimento, & matre agnita, interfecit; iste vero similiter matri admissus, eadem agnita, se praecipitavit. Similia legere est apud Plinium hist. natural. lib. VIII. cap. 42., ubi de equis agit, apud Varronem de re rustica, & apud Antigonum de mirabilibus. Haec adeo pro certis habuit Seneca, ut ita Hyppolytum loqui faciat

Ferae quoque ipsae Veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.

At historiae istae lepidae quidem sunt, attamen dubiae. Sane quod olim factum est, cur non hodie fit? Non solent equi hodie & cameli tam religiosi, & casti esse. Interim dubitari nequit, quin ejusmodi nuptiae inter gentes cultiores nequissimae sint habitae, licet apud barbaras quasdam nationes fuerint in usu, uti videre est apud Xenophontem, Philonem, ac B. Hieronymum lib. II. contra Jovinianum. Atque hic mirari non desino Rom. Legum eunomiam, qua ob solam paterni nominis reverentiam nuptias vetabant inter filiam quoque adoptivam, ejusque patrem

adoptantem, etiam postquam emancipatione adoptionis jura fuissent soluta. L. 55. D. de ritu nupt.; neque filiam vulgo quaesitam ducere poterat pater naturalis, quia contra naturalem pudorem id fieri censebatur D. L. XXIII. Tit. II. de ritu nupt.; omniaque matrimonia inter ascendentes ac descendentes incestum juris gentium appellat Paulus jureconsultus D. loc. cit. Merito itaque Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. V. §. XII. conjugia inter parentes ac liberos nedum illicita jure naturae, sed & irrita esse ait, *quia vitium perpetuo effectui adhaeret*.

50. Rationibus recitatis graves aliae addi solent. I. parentum, liberorumque convictus quotidianus atque inobservatus stupris, & adulteriis occasionem daret, praesertim ubi parentum accederet auctoritas, si amores tales possent nuptiis conglutinari. At id mihi injicitur scrupuli, minusne periculi erit a stupris & adulteriis inter personas conjunctas, aut minus erit concupiscentiae illicium, quod prohibitio accedat? Certe nitimur in vetitum. 2. Institutio conjugalis ejus est indolis, ut humana species a stipite veluti descendendo propagetur; non itaque decet, ut retro veluti natura vertatur, ac transmissum semen ad stipitem remittatur, atque ita respectuum perturbatio suboriatur. Quare apud Sophoclem Oedipo Tyranno

O nuptiae! nuptiae!
Genuistis nos, & postquam genuistis, rursum
Remittitis idem semen, atque exhibuistis
Patres, fratres, liberos, sanguinem cognatum,
Sponsas, uxores, matresque, & quae
Turpissima inter homines censentur.

Ve-

Verum alterum hoc argumentum nimis est metaphysicum, ac si recte perpendatur, in primum recidit §. 49.

51. Socrates in talibus conjugiis nil aliud novit deformitatis praeter aetatis disparitatem, unde sterilitatem, aut male conformatam sobolem consequi ait. Falso; nam ineuntur conjugia inter alias personas, quarum aetas tot annis distat, quot annis parentes solent liberos praecedere.

52. Civili jure vetitae sunt nuptiae in recta linea ascendentium, ac descendentium in infinitum. At naturali jure irritari nuptias in primo dumtaxat gradu, *h. e.* inter solos parentes, ac filios, valde probabile esse censet Thomas Sanchez lib. VII. de Matrim. Disput. 51. idque evincere satagit ex D. Thoma, aliisque haud obscuri nominis Scriptoribus; in gradibus ulterioribus usque ad quartum aliquam indecentiam esse fatetur; ultra eum vero gradum fidelibus quoque licere nuptias contrahere ex Canonici Juris dispositione tuetur; matrimonia infidelium, qui solo naturali jure tenentur, in primo gradu esse irrita, ut proinde separari debeant, si ad fidem convertantur; secus vero, si in aliis contraxerint gradibus. His tamen personis, me judice, obstare poterit aetatis differentia. Ceterum quaestio haec est tota idealis in tam brevi nostrae vitae curriculo, & in antediluvianis hominibus locum habere poterat.

53. Inter collaterales nullo plane gradu vetari nuptias jure naturae persuasum est multis, quod illae neque matrimonii finibus adversentur, nec ulla consequatur respectuum confusio. Deinde si fratres sororibus matrimonio copulati torum incestarent, humanum genus incestibus fuis-

ſet propagatum: nam Adami liberi neceſſario inter ſe matrimonia inire debuerunt; neque ulla neceſſitas Deum ſubigebat unum mortalium par creare, a quo univerſum hominum genus derivaretur, ac naturali legi ſtatim a mundi exordio diſpenſare. Dici ſolet, id a Deo factum, ut humanum genus totum ex una ſtirpe originem duceret, ſeſeque cognatum eſſe agnoſceret. At nonne ſatis erat communem habere Creatorem, eamdemque naturam, ac duarum ſtirpium homines inter ſe matrimonio copulari? Numquid unius ſanguinis neceſſitudo obſtitit, quominus tellus a ſuis exordiis ſub Protoplaſti oculis fraterna caede foedaretur? Accedit, quod Abraham vir ſanctiſſimus non dubitavit ſororem ſuam conſanguineam Saram ducere in uxorem: *revera eſt ſoror mea, filia patris mei, non autem filia matris meae* Geneſ. XX. Sola his nuptiis obſtare videtur verecundia; quae tamen educationis, atque inſtitutarum legum poteſt eſſe effectus (1). Denique inter affines etiam primi gradus *e. g.* inter vitricum, & privignam, naturali jure tenere matrimonium communior eſt doctrina. Plutarchus quaeſt. Rom. 107., & B. Auguſtinus

(1) „ Haec prorſus fuiſſe videtur D. Thomae doctrina: „ nam 2. 2. q. 154. a. 9 ad 3. , ait in commixtione perſo- „ narum conjunctarum aliquid eſſe ſecundum ſe indecens; „ & naturali rationi repugnans, ſicuti commixtionem fieri „ inter parentes ac filios, quorum eſt per ſe & immediata „ cognatio; alias vero perſonas, quae non conjunguntur „ per ſe, ſed per ordinem ad parentes, non habere ex ſei- „ pſis indecentiam, ſed variari circa hoc decentiam, vel „ indecentiam ſecundum conſuetudinem, legem humanam, „ aut divinam. Et in 4. *d.* 40. *q* 1. *a* 3. propoſita quaeſtione de gradibus conſanguinitatis naturali lege prohibitis, in reſponſione parentum, ac filiorum dumtaxat meminit.

nus de Civ. Dei lib. XV. cap. 16. ajunt, nuptias inter cognatas personas idcirco esse prohibitas, ut latius spargantur amicitiae, nec unam inter familiam constent affinitates. Atqui haec ratio magis politica est, quam juris naturae.

54. Quoniam conjugia consensu, pactisque ineuntur (§. 39.): hinc ea omnia, quibus pacta vitiantur, conjugia quoque vitientur, oportet. Hinc si aliquis dolo malo, aut errore implicatus fuerit nuptiis, a quibus omnino abhorruisset, si dolus aut error abfuisset; ratae non erunt nuptiae. Nec magis illae consistent, si alterutri vis atrocior facta fuerit, vel raptus accesserit; dummodo tamen vera vis fuerit adhibita: saepe enim vim gratam experiuntur puellae, non quod nubere alicui nolint, sed ne velle, ac ruere in virorum amplexus videantur. Consensus autem fines simul ac media conjugalis societatis complectatur, necesse est: fines autem sine mutua corporum communicatione obtineri nequeunt; vir itaque potestatem in uxoris corpus nanciscitur, haec in corpus viri; suntque haec jura perfecte aequalia, ut idcirco nullus detur praerogativae locus. Quapropter inutilem esse reor quaestionem, num ratae habeantur nuptiae cum adjectione pacti, ne peti possit corporea commixtio.

55. Quaenam jura conjugum sint propria, ex dictis facile est colligere. Commune utrique conjugi, ac reciprocum jus est in corpora, adeout uni petenti debitum alter ex justitia reddere teneatur, nisi justa causa excusationem offerat. Peculiare autem jus est viro, quod ei aliquod competat imperium in uxorem: nihil namque rationi conformius, quam ut praestantior firmiorque sexus sequiori ac infirmiori praesit. Deinde quia summa requiritur inter conjuges

animorum consensio tum quoad mutua officia, tum ad sobolis educationem, totiusque familiae gubernationem; ea nequit obtineri, nisi alter ad alterius ingenium ac voluntatem se fingat: nam inter duos, si aliqua suboriatur dissensio, suffragiorum numerus vincere non potest; tunc igitur prudentius consilium erit praeferendum. Quum vero aeque sit incertum, uter conjugum magis altero sapiat, ei erit deferendum, quem natura plerumque majori prudentia instruxisse praesumitur; ideoque mulierem viro subjectam esse oportet, ex eaque subjectione, inaequalitate nimirum, oritur inter conjuges aequalitas. Ad rem Plutarchus conjugal. praecept. *Sicut quum sumuntur duae consonae voces, cantus graviori adscribitur; ita in familia recte instituta omnes res quidem geruntur consensu conjugum; viri tamen vel imperium, vel consilium elucet*. Quod si vero ea cesset praesumtio, ac prudens mulier viro hebeti, Abigail Nabali, nubat, aut Princeps foemina alicui privato, atque imperium sibi stipuletur; nihil adversus naturale jus molietur, quippe quod mere est praesumtivum, ac nonnisi decorum respicit; quandoque vero expedit, atque decorum est, viro uxorem praeesse.

56. Non igitur herile, vel despoticum est hoc imperium; sed familiare, amicum, legibusque conjugalis societatis circumscriptum: vitae namque sociam dat viro uxorem natura, non servam; omnisque viri potestas felicitatem ejus status, ac familiae unice intendit. Excessu itaque peccarunt veterum Rom. aliorumque populorum Leges, dum uxorem in manu ac potestate viri esse voluerunt, ac marito jus vitae & necis, vendundi, commodandi, commercio exponendi uxores indulserunt. Mariti ergo potestas his fere ter-

terminis concluditur, ut actiones uxoris prudenti consilio regere possit, errantem comiter admonere, inmorigeram immodestamque modicis castigationibus pro conjugum dignitate, non ignominiose, punire, infidelem, aut intolerabilem matrimonii usu mulctare, aut eam a se removere: at in eam saevire, captivam tenere, nihil libertatis, quod, salva conjugii fide, possit, eidem concedere; id vero esset uxorem in servilem conditionem dejicere. Caveat quoque maritus, ne nimium sit zelotypus, ac suspiciosus: haec namque amoris species facile in furorem abit, pronamque innumeris malis aperit viam.

57. Officia conjugum modo perscrutemur. 1. debent mutuo sese amore complecti, nec vulgari illo tantum, quo sunt omnes complectendi, sed illo intimo, qui unum eorum cor, unamque animam constituat. 2. datam fidem sancte servare, ideoque nedum ab adulteriis, sed & a furtivis amoribus abstinere. Foemina vero imprimis viro castum servet cubile: quum insuper nihil magis sit nefarium, aut injuriosum, quam adulterinum foetum, bonorum heredem viro supponere, & amorem verae tantum soboli debitum dolose intervertere; id cane pejus & angue oderit uxor. Parem etiam vir uxori servet fidem: iniquissimum namque foret, ut uxoris amores conjugales, curaeque omnes una cum dote uni viro ejusque soboli devoveantur; quum interea mariti amores uxori debiti ab introducta pellice ejusque sobole interversi, cum re etiam familiari, dispertiantur. 3. petenti usum matrimonii statim concedere, nisi gravis obstet causa. 4. una vivere, ac simul habitare, quoad res ac negotia patiuntur; & uxor quidem tamquam inferior sequi debet virum, si is domicilium mutet.

tet. 5. in liberorum educatione, in communi re familiari administranda sibi invicem adjumento esse, & utramque fortunam habere communem. Id significare volebant veteres Germani, apud quos moris erat, ut mariti & uxores dona sibi mitterent boves jugatos, hastam, & equum phaleratum.

CAP. II.

De Societate Paterna, deque officiis Parentum, ac Liberorum

DEFINITIONES

I.

58. *Societas Paterna* est, quae inter parentes, ac liberos, horum educandorum causa, inita intelligitur.

II.

59. *Patria potestas* est jus dirigendi liberas filiorum actiones.

III.

60. *Filius legitimus* dicitur, qui legitimo ex matrimonio est ortus.

IV.

61. *Spurius* dicitur, qui ex certa matre, patre autem incerto natus est. *Vulgo quaesitus* quoque nominatur.

V.

V.

62. *Nothus* dicitur, qui certos parentes ostendere potest, sed illegitimo concubitu junctos.

VI.

63. *Emancipatio* est dimissio ex patria potestate.

VII.

64. *Infantia* est aetas, qua liberi usu sermonis destituuntur, deinceps ad eum perducendi; *pueritia* est, qua usu sermonis pollentes, usu tamen superiorum facultatum destituuntur, ad eum perducendi; *adolescentia*, qua usus superiorum facultatum se exserit, sed judicium est adhuc imbecille ac magis firmandum; *juventus*, qua judicium maturuit; *aetas virilis*, qua judicium perfectum videtur ad vivendum vitam hominis per se.

65. Quoniam quaevis societas consensu initur (§. 12.), & infantes ac pueri superiorum facultatum usu destituuntur (§. 60.), liquet in eis nullum esse posse expressum, aut tacitum consensum. Adolescentes quoque cerei in vitium flecti, monitoribus asperi consentire quidem possent, si vellent, attamen saepe dissentiunt, fraenaque mordere nihil verentur; nihilominus stat societas, ad quam solum sufficit consensus praesumtus; ipsa namque liberorum educatio, sine qua nec conservari, nec bene esse possent, hanc requirit societatem, in quam libentissime consentirent, si saperent.

66. Hob-

66. Hobbesius de Civ. cap. 9. patriam potestatem nonnisi ab occupatione repetit. Nam, inquit ille, quae nullius sunt, occupanti cedunt; natus infans est nullius, proinde matri cedit occupanti, penes quam jus est in liberos; penes patrem vero non aliter, quia mater cum illo ultro communicat. Quot scommata! Nam 1. liberi homines non occupantur, sed res (§.265. 278. P.I.) 2. infantes non sunt nullius, si de potestate quaeritur: sunt enim parentum. 3. dominium, ac potestatem turpiter ille confundit. 4. saepenumero eam potestatem obstetrix matri praeriperet, aut praeripere saltem posset, si vellet: occupatio quippe corpore simul ac mente fieri debet (§.282. P.I.). Censet Grotius lib. II. de I. B. & P. eam potestatem ex generatione oriri: at quia patria potestas ac generatio non immediate connectuntur, idcirco educatio generationi accedat, necesse est. Non est ergo sequestranda generatio, sed adjungi debet educationi, quae proxima est ejus potestatis causa.

67. Nos rejectis ambagibus, sic ratiocinamur. Sobolis procreatio atque educatio duo sunt primarii matrimonii fines: si fini generationis respondet eventus, nascuntur nobis liberi; procurandus est itaque alter matrimonii finis, qui in educatione consistit. Quum enim liberi adhuc infantes, imo & pueri atque adolescentes non sint ea mentis perspicacia, ut ipsi vel de alimentis sibi prospicere, vel quomodo actiones suas ad rationis normam componere debeant, dijudicare valeant; idcirco a parentibus alantur, & excolantur oportet, donec seipsos regere, rebusque suis prospicere possint. Excoli autem nequeunt liberi, quin eorum actiones dirigantur; parentum itaque est liberorum actiones dirigere: id

id vero quum fine aliqua poteftate obtineri nequeat, liquet patriae poteftatis origo. Non ergo fatisfacit Pufendorffius, qui lib. IV. de J. N. ac G. eam poteftatem partim ex vitae focialis natura, partim ex praefumto liberorum confenfu derivat: praefumtus namque confenfus nonnifi educationis fundamento fuperftruitur.

68. Utrique autem parenti convenit ea poteftas, quia utrique incumbit cura prolem educandi; ficuti & utriufque effectus eft foboles, & utrique ex fine matrimonii educatio proponitur; necnon amor a natura infitus utrumque parentem hujus officii admonet. At quia plerumque vir confilio praeeft, ac mulier eidem fubditur; primae ejus poteftatis partes patri, fecundae matri funt deferendae, nifi forte inter conjuges aliter fuerit conventum (§. 55.). Quare totum eft de jure civili, quod Rom. Leges ftatuunt, in patre folum refidere eam poteftatem, matribufque omnino denegant. Nec me quidquam commovet mafculini fexus praeftantia, aut nobilior, quam vir praeftat generationi, opera. Nam fexus praeftantia, quemadmodum virium inaequalitas, nullam meretur jurium praelationem (§. 49. P. I.); neque verum eft, nobiliorem effe viri operam (§. 236. P. I.): ac fi daremus effe nobiliorem, matris tamen opera laboriofior, moleftior, ac diuturnior effet: decem pene menfium geftatio, quaeque eam comitantur, incommoda, ac follicitudines, partus dolores maximam merentur confiderationem. *Ter fub armis malim vitam cernere, quam femel modo parere*, ajebat Medea apud Ennium.

69. Quidquid ergo educationi adverfatur poteftate patria contineri nequit. Quare non confiftit illa in jure vitae & necis, exponendi filios, eof-

eosdem vendundi, oppignorandi, aliis commodandi, delinquentes noxae dandi, omniaque bona, quae liberis aliunde obveniunt, adquirendi, quamvis haec omnia antiquis Legibus Rom. patribus fuerint concessa. Ea namque potestas pro fine habet liberorum felicitatem; quae vero diximus in eorumdem perniciem vergunt. Non itaque pejus philosophatus est Aristoteles, quam quum docuit Polit. lib. VII. cap. 16. *De exponendis autem, & alendis foetibus esto lex, ut nihil alatur mancum, & membris orbatum. Determinanda est procreandorum multitudo: sed si quibus fuerit aliquid praeterea genitum, abortionem ante sensum, & vitam facere conveniet.* Non tamen illud negaverim, in statu naturali, quia familiae futurae fuissent liberae, summumque imperium penes neminem alium praeter quam penes patrem, ideoque penes eumdem jus vitae & necis in suos quoque futurum: attamen illa potestas ei tamquam Principi conveniret, non vero tamquam patri, quemadmodum & hodie in familiis summorum imperantium contingit. Neque & illud aliud negaverim, posse a parentibus in summa necessitate liberos venumdari, aut in servitutem tradi, ne pereant: verum non fit id vi patriae potestatis, sed vi Legis, quae praecipit, in necessitate minimum malorum esse eligendum (§.161. P. I.). Liquet interim ex dictis, non eousque exporrigi patriam potestatem, ut proles vel intra materna viscera haerens elidi queat, vel medicamentis abigi, vel recens edita necari: haec quippe omnia educationis ratio manifeste vetat.

70. In quo ergo consistit patria potestas, prout a Natura accepimus? Haec tenenda est regula: *tanta est parentum potestas, quantum requirit educa-*

cationis officium. Parentum itaque est liberis quid agendum, quid omittendum sit, praecipere, eos immorigeros pro re nata castigare, acrioribus remediis ad frugem revocare. Recte tamen monet Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. 5., habendam esse aetatis rationem. In prima namque aetate omnis directio absolute est penes parentes, ut idcirco possint hi liberis vel invitis certum vitae genus, certasque operas praescribere, immodestos virga scuticaque coercere, ad Religionis officia compellere. Id vero bonus pater non fecerit in filio adultiore, quem maturiore judicio praeditum rationibus potius, quam severiore imperio ad honesta quaevis pertrahere studebit, nec ipsi invito certum vitae genus obtrudet, nec ad Religionem, quam ipse credit esse falsam, coget. Decrescit ergo paullatim patria potestas: nam quo magis liberi perfectam attingunt aetatem, eo magis parentibus fiunt aequales: ac proinde amor benevolentiae, quo prius parentes filios utpote inferiores prosequebantur, induit sensim sine sensu naturam amoris amicitiae, qui inter aequales obtinet. Castigationes huic aetati raro sunt accomodae, saepe inutiles, saepe etiam periculosae. Est itaque patria potestas veluti imperium dominicum in liberos ante justae rationis usum, non quod isti omni jure careant, sed quod nullius juris exercitium habere possint; in prima adolescentia propter vim impetumque passionum est veluti Regium imperium; in virili aetate est veluti civile imperium.

71. De fortunis liberorum quaeri solet, an in eas aliquid potestatis competat parentibus. Pufendorffius lib. VI. de J. N. & G. cap. 2. distinguit inter bona per industriam liberorum parta,

atque illa, quae aliorum liberalitate, veluti per testamentum, aut donationem, ipsis obveniunt. Prima illa parentibus tribuit: nam licet parentes naturali jure ad alendos liberos teneantur; tamen quum & pauxillum sit, quod liberi propria habilitate possint adquirere, nec certe majus quam quod in ipsorum educationem impenditur, & eam ipsam habilitatem parentibus acceptam debeant, aequissimum videtur, ut parentes in suorum sumtuum, ac laborum pensationem id sibi vindicent. Posterioris generis bonorum proprietatem liberis adjudicat, parentibus usumfructum, tum propter administrationem, tum propter ceteras educationis molestias. Sane quibuscumque rebus indigent liberi, eas a parentibus jure veluti suo exigunt; qua fronte igitur fructus repetent a parentibus, quibus vicem nunquam reddere possunt, si se, suaque omnia redderent? Quare filius, nisi fuerit impudentissimus, pro impensa parentibus opera mercedem nunquam poposcerit, neque administrationis rationes postulaverit. Rectissime apud Sophoclem in Oedipo

Patrem cura: nam parentum causa
Etsi quis laborat, laborum tamen non meminisse debet.

Pufendorffiana haec definitio aequitati naturali convenientissima videtur, nec proinde est, cur eidem refragemur.

72. Quoniam natura nihil aliud intendit praeter sobolis rectam educationem, id vero officium alii perinde, saepe etiam melius exequi valent; nihil est ambigendum, educationis munus a parentibus in alios posse transferri, translata proinde

de poteſtate patriae perſimili. Sic liberi, praemortuis parentibus in avorum, aut cognatorum, quos pietas excitat, vel etiam tutorum poteſtatem tranſeunt; alias in poteſtatem eorum, a quibus adoptantur, vel qui a parentibus id ſibi ultro depoſcunt, vel quibus parentes demandant, veluti magiſtris & paedagogis, quorum diſciplinae fuerint crediti. Metienda tunc eſt translata haec poteſtas ex fine, propter quem concreditur; adeout qui totum educationis onus in ſe ſuſcipiunt, parentibus in poteſtate plene ſuccedant; quibus vero aliqua curae pars mandatur, poteſtatis quoque partem ad eum finem accomodatam obtineant. Merito Pufendorffius loco nuper laudato ſuſceptori infantis abjecti paterna omnia jura attribuit; eumque ſolum caſum eſſe ait, quo imperium in hominum occupatione adquiratur.

73. Adoptionem igitur naturale jus non improbat; imo & quandoque expedire videtur ſuam prolem bono viro adoptandam concedere, ubi emolumenti aliquid in eamdem eſt derivaturum: attamen jus adoptandi non ex aliquo Patris dominio, ſed ex officio liberos educandi uniçe eſt derivandum (§. 72.). Nec quidquam refert, maſculus adoptet an foemina, nupta an innupta; adoptio namque non naturam imitatur juxta Juriſconſultorum adagium, ſed parentum tantum officia complectitur. Antiquiſſimum adoptionis exemplum videre eſt in Jacobo viro ſanctiſſimo duos Joſephi filios, Ephraimum & Manaſſem adoptante Geneſ. cap. 48. Alia quoque adoptionis exempla occurrunt apud Ægyptios Exod. II., apud Graecos, alioſque. Non ſatis ergo recte Grotius loc. cit. §. 26. adoptionem reprobare videtur, quamvis patri concedit, ut poſ-

fit filium alteri commendare, aut alendum dare quasi fubstituendo. Equidem obligationes alendi & educandi adeo cohaerent, ut a parentibus divelli nequeant: atvero officio suo funguntur parentes, si liberos per alios alant; quidni si per alios educent, ubi id expedire compertum fuerit?

74. Quum vero ad eam aetatem pervenerint liberi, ut feipfos regere, fuafque res bene administrare valeant, ideoque parentum cura jam non indigeant, non eft cur fub eorum imperio permanere debeant; tunc itaque poteftate patria folvuntur, fuique juris fiunt. Atvero quamdiu feipfis regendis impares cenfendi fint liberi, id eo minus naturae jus definire nequit, quo magis variae funt eorum indoles, aliique citius, ferius alii ad maturitatem perveniunt. Quare id civilibus Legibus relinquendum effe ajo. Finita patria poteftate, filii familia excedere poffunt, inftituta feparata oeconomia; filiae vero, ubi nupferint: quamdiu vero filii educari indigent, non poterit eos pater e poteftate dimittere; neque ifti, falvo officio, patris poteftati fe fubtrahere. Abfurdam ergo effe cenfeo pueri vel infantis emancipationem, quae fiebat jure Rom., quaeque putato dominio fuperftruebatur. Abfurde quoque agunt parentes, fi liberos juftae aetatis invitos retinere volunt: veluti fi pater filium praepediat, quominus fortunam periclitetur, munere aliquo fungatur; vel fi nolit filiam nubere, quae paullatim domi confenefcit.

75. Superfunt officia tum parentum, tum liberorum, quae femper ex fine fluunt. Ac primo palam eft teneri parentes ad fervandam liberorum vitam, membrorum integritatem, corporis fanitatem; tum ad miniftranda ipfis alimen-

menta, victum, amictum, lectumque: hinc & ad avertenda ab iisdem omnia, quae corporis sanitatem prosternunt, quales sunt ingluvies, luxus, lascivia. Atque hac in re primae partes sunt matris, cujus est primi lactis instillatio; ut proinde neglecti officii materni ream esse dixerim illam, quae commoditatis, vel formae servandae causa eam operam mulierculis corruptis committat, ut infantuli improbam earum indolem, pravosque mores cum lacte sugant. Apposite Arrianus lib. I. epist. 23.: *nec ovis, nec lupus foetum suum deserit, homo vero deserit.* Inde vero fieri solet, ut filii adulti nutrices aeque ament, ac matres; quandoque etiam propensius, atque matrum loco habeant. In Alcorano praecipitur, ut foeminae integros duos annos prolem suam lactent, foeminaeque nostrae dedignantur esse suorum liberorum nutrices. At sicuti necessitas facile unumquemque solvit lege affirmativa (§ 500. P. I.); ita nec vitio vertendum erit matri infirmae, delicatiori, lacte destitutae, si infantem committit nutrici, dummodo valenti, vegetae, ac moribus commendatae. Monet Aristoteles, primis annis nec labori, nec disciplinae severiori admovendos esse liberos, ne impediatur incrementum, quod lusu potius obtineri constat. Prudentes quoque Genitores lachrymas & complorationes non facile inhibebunt; hae namque habendae sunt veluti quaedam corporis exercitationes, quae venas arteriasque dilatant, ac roborant, juvantque incrementum.

76. Altera educationis pars in animo excolendo versatur, quo nihil prius esse debet: *fons, & radix probitatis est decentem sortiri institutionem*, ait Plutarchus *de educat. liber.* Optabat

Crates Philosophus altissimum Civitatis locum conscendere, summaque voce exclamare; *quo ferimini o mortales, qui ad possidendas opes magno studio incumbitis; filiorum vero, quibus illas relinquatis, exiguam curam geritis*. Plutarch. ibid. Animi vero cultura ab intellectu exordienda est, eaque duas complectitur partes; primum ne erroribus, deinde ut veri cognitione imbuatur. Ne infima quidem aetas sit expers hujus institutionis, ac praecepta sapientiae, rerumque divinarum & humanarum principia, castaeque religionis dogmata, Principis venerationem qua exemplis, qua praeceptis a teneris unguiculis instillare liberis curent parentes, tamquam prima semina, quae tempore suo uberrimum dabunt fructum; caveatur ne gerulae anilibus fabulis pravas absurdasque iis ingerant opiniones; ubi vero adoleverit proles, tum parentes non labori, non sumtibus parcent, ut ejus intellectus acuatur; atque instillatae cognitiones vividiores fiant, & ad praxim deduci incipiant. Explorare quoque satagant parentes liberorum indolem, honestumque vitae genus, quod indoli, conditioni, aliisque circumstantiis conveniat, eligendum, neque ad aliquod vitae institutum, invita eorum Minerva, capessendum compellant. Quod ubi fuerit factum, curetur, ut liberi impositam sibi personam laudabiliter agant, atque in bonos cives evadant. In omni etiam vitae urbanitate paullatim adsuefaciendi sunt, ut nihil in eorum moribus asperum sit, superbum, ac morosum, nihil e contrario molle, aut fractum.

77. Quoniam ad felicitatem praecipuae sunt partes voluntatis; idcirco parentes, quorum est liberos ad felicitatem instituere, eo intendere debent,

bent, ut exquisitissima sit eorumdem voluntatis cultura. Dent ergo operam, ut liberi cane pejus & angue odisse adsuescant quidquid honestati repugnat, quae sunt virtutis amare, & exercere studeant, nascentia vitia in ipso ortu suffocent; alioquin crescunt in dies, accipiuntque vires non vi, non arte domandas. Absint foeda omnia imaginum, verborum, librorum; absit & quisquis nocere potest: natura enim juvenes eunt in vitia, quibus si exteriores adjiciantur illecebrae, toto impetu in praeceps ruent. Nihil vero magis juventutis animum pervertit, quam cum pravis sodalibus consuetudo: sunt namque proclives ad imitandum tenelli puerorum, atque juvenum animi; ut facile videre est in iis, qui inter feras bestias educati, earum vocem, nictum, gressus, gestusque, ferociam quoque ita paullatim adsciverunt, ut a bestiis vix discernerentur. Si ergo homines in bruta veluti convertit solum cum brutis contubernium: quis miratur, pueros bona ceteroquin indole ex consuetudine cum aliis aliam induere naturam, ac veluti hausto Circes poculo in bestias transformari? At in tanti momenti re nolim parentes nimium esse morosos: amat quippe tenella aetas sodales sibi pares, cum iisque colludere gaudet, nec sine iis esse potest: provideant ergo parentes, ut liberi sodalibus bene educatis consuescant, colludantque. Atvero haec omnia prorsus erunt inutilia, nisi parentes praeeant exemplo: hoc namque primum sibi licere putant liberi, quod parentes facientes vident. *Beatum adolescentem, qui eum potissimum imitandum habet, cui natura simillimum esse voluit*, apposite ait Plinius lib. 8. epist. 13. Rursus quoniam adolescentibus, puerisque maxime adblanditur otium,

& voluptas, cavere debent parentes, ne nimis delicatam rationem in educandis liberis teneant, neque eos otio torpescere patiantur, aut eos nimis exquisito victu nutriant; sed solem, frigusque ferre, ciboque parabili contentos esse doceant. Tyrannus est pater filio indulgens, & major est crudelitas filios privare ea institutione, quae ad vitam bene beateque degendam necessaria est; quam fortunae bonis eosdem spoliare. Nihil tamen magis parentibus, patribus praesertim, tam est commendandum, quam ut disciplinam suavitate condire, ac severitatem lenitate temperare studeant: sola asperitas ac severitas res vel gratissimas reddit odiosas, ac mancipiis congruit, non filiis. Meminerint ergo parentes aurei illius dicti in Proverbiis, *qui parcit virgae, odit filium suum*: virga est quidem severiuscula disciplina; saevitiam, crebraque verbera nemo sapiens probaverit. Demum quum parentes non omnes educationis partes semper ipsi per se soli explere valeant; Magistris utantur, quorum inculpata sit vita, doctrina, docendique ratio; neque hoc contenti, explorent quantum filii proficiant, ac quali disciplina utantur Magistri. Spectaculis mirifice delectantur pueri, & adolescentes, quorum temperies sanguinea est, animusque apertus, hilaris, laetusque; ab his igitur, quoad fieri potest, arceantur: nam in totum nec fieri potest, neque expedire videtur, ne feram, trucemque vitam induant. A recta liberorum educatione Rerump. felicitatem pendere nemo unus dubitaverit, qui animo reputaverit, familias esse Reip. seminarium; nullam vero Remp. felicem fine Legum observantia, nec quemquam ad observandas Leges animum adpellere, nisi severae domi disci-

pli-

plinae adſueverit: hinc boni, aut mali cives prodeunt. Ad rem itaque ajebant Plato & Ariſtoteles Politices callentiſſimi, non eſſe liberos rem privatam, ſed publicam, & magis in Reip., quam parentum poteſtate.

78. Liberorum officia juribus, officiiſque parentum reſpondent. Ac 1. parentes exiſtentiae noſtrae ſunt auctores, ab iiſque habemus, unde felices ſimus; proximum itaque amoris gradum poſt Deum parentibus deberi recte dixerunt Veteres, qui & illos quandoque *Deos* appellarunt. Quare boni liberi ſuos parentes omnibus praeferent, cum iiſque ac de iiſdem etiamſi mali fuerint (§. 113. P. I.) honorifice loquentur, neque pietatem ipſis debitam vel hilum laedent. Imaginem Deo ſimilem in parentibus ajebat Hierocles. 2. Quia cum poteſtate praeſunt liberis parentes (§. 68.), obligantur illi juſſis iſtorum morem gerere, dumne turpe aliquid imperent. 3. caſtigandi poteſtas timorem filiis ingeret, quem tamen temperabit amor; atque ex timoris & amoris temperamento exiſtit timor filialis, quo non tam metuitur poena, quam juſta patris indignatio. 4. ad gratitudinem obligantur filii, etiam poſtquam ſub patria poteſtate eſſe deſierint; gratitudinem vero oſtendent, ſi beneficia beneficiis penſabunt, ſi egenos parentes alent, injuriis oppreſſos ſublevent, ſenio confectis ſolatio fuerint, ac praeſidio.

CAP. III.

De Societate Herili, deque Dominorum, ac Servorum officiis, & de familia.

DEFINITIONES

I.

79. *Herus*, *Hera* dicitur persona, quae aliorum operis ad sui utilitatem utitur, hisque vicissim ad alimenta, vel ad mercedem praestandam, est obligata.

II.

80. *Servi*, & *ancillae* sunt personae, quae ad herorum utilitatem operis suis promovendam, vel pro certa mercede, & alimentis, vel pro solis alimentis, obligantur.

SCHOLION.

81. Prioris generis servitus *mercenaria* dicitur, alterius generis servitus *obnoxia* nominatur: illius fundamentum est locatio conductio; ipsius fundamentum est quoddam veluti dominium justo titulo adquisitum.

III.

82. *Familia* est societas, quae ex conjugali, atque herili componitur.

SCHOLION.

83. Veteribus familia proprie fuit servitium, quasi *famulia*; parentes vero ac liberi *Domus* vocabulo significabantur: nos vero Familiae nomine intelligimus, quod Veteres domum & familiam nominabant.

84. Quamvis homines natura nascuntur liberi, aucto tamen hominum genere, ubi a primaeva rerum communione fuit discessum, quum alii abundarent, alii indigerent; valde probabile est, a solertioribus ac locupletioribus hebetiores, ac tenuiores ad operas locandas fuisse invitatos: mox cum utrique id commodum esse experirentur, paullatim aliqui dominorum familiae se adjungere coeperunt in perpetuum, ea lege, ut domini quidem omnia ad vitam necessaria praeberent, servi sua ministeria circa rem domesticam ex herorum praescripto curandam promitterent; atque ita perpetuam servitutem ortam suspicari licet. Sunt praeterea nonnulli ingenio tam hebeti, ut nec actiones suas dirigere, nec victum sibi lucrari sciant, quos Aristoteles *natura servos* appellat; sunt etiam, quos extrema paupertas subigere possit, ut servire, quam fame perire malint: quare nihil est absurdi, ut & isti obnoxiam serviant servitutem. Exemplo sint Ægyptii, qui ne diurna fame consumerentur, beneficii loco habebant, quod Pharaoni servire liceret pro alimentis, clamabantque ad Joseph, *tu nobis vitam dedisti, gratiam apud Dominum inveniamus, & simus Pharaonis servi*, Genes. cap. 47. Atque haec quum ultroneo consensu utrimque ineatur, atque innominato contractu, *do ut facias*, innitatur, nihil habet iniqui, praesertim quum unusquisque operarum suarum sit dominus, eas-

easque locare possit ad certum tempus, aut in perpetuum. Alia perpetuae servitutis origo fuit belli calamitas: victor enim victos in captivitatem adducere jure suo potest, ne noceant; atque in servitutem detrudere, ne gratis alantur. Nascitur haec societas ex consensu non quidem ultroneo, attamen justa vi extorto: vult enim victor victum servare hac lege, ut serviat; servire vult victus, ut servetur: nam si vere nollet, cur in victoris arma non irrueret?

65. De solis vernis, nempe de servis domi nostrae natis quaestio esse potest. De istis cautum est civili jure, partum sequi ventrem, nempe ad mulieris dominum pertinere; Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. V. § 29. utriusque domini communem naturali jure esse censet, quia uterque parens est partus causa; Heineccius in Praelect. ad hunc locum nullius domini eum partum esse retur, sed liberum. Verum ait Grotius, vernam merito servum fieri in compensationem alimentorum, quae quum a parentibus accipere nequeat, ab eorumdem dominis accipere debet. Ait vero Heineccius, posse naturali jure servum habere peculium, unde vernam alat; & alimenta vernae data non esse tanti, ut in comparationem perpetuae servitutis venire queant. Ego quidem sic censeo. Axioma illud juris civilis *partus sequitur ventrem*, naturali jure falsum esse ajo. Nam 1. partui a natura propria libertas data est, eamque nascens secum in lucem adfert. 2. filii in parentum libertatem non succedunt, utpote quam immediate a natura sortiuntur; adeoque nec in servitutem, quae est libertatis privatio in parentibus. Ajo deinde distinguendum esse inter servum pactitium, aut bello captum; pactitius autem vel mercenarius est, vel obnoxius: mercenarii prolem

lem esse liberam, nemo unus negaverit, quum ejusmodi servus operas dumtaxat locet, non ipsam personam addicat. Pactitius obnoxius aut jam habet filios dum se addicit, aut postea procreavit: si primum, manent liberi post addictionem, neque parentum voluntate in servitutem detrudi possunt, nisi maxima perurgente necessitate (§. 69.); quia parentes jura a natura quaesita nequeunt filiis eripere: si alterum; filii deinceps nati manent quoque liberi, nisi conventione, aut usu communiter recepto, aut lege contrarium cautum fuerit: aequitas enim, & favor libertatis suadere videntur, ut nasciturae prolis alimenta sub alimentis parentum, quae a domino debentur, includi intelligantur, eoque nomine proles servituti non sit obnoxia, uti ait Pufendorffius lib. VI. cap. 3. de J. N. & G. Quod si fuerint servi bello capti, usus invaluit, ut in eorum corpora dominium adquireret victor; & quidquid ad servos pertinet, victoris esse intelligeretur, ut proinde soboles, quae ex ejusmodi servis nascitur servilem conditionem sortiatur, atque de hoc partu recte dici potest, quod ventrem sequatur, eodem ferme modo, quo de animalium foetura diximus (§. 236. *P. I.*). Ejus generis filii quum nonnisi a parentum suorum dominis alimenta sperare possint; praesumto saltem consensu, in eam societatem consensisse dicendi sunt. Quamvis igitur homines sint natura liberi, id tamen non obstat, quominus etiam nascentes redigi in servitutem facto aliquo humano, cui attributa haec vis est, queant: quemadmodum naturaliter quidem homines ab omni civili imperio immunes existunt; nihilominus filii ex subditis alicujus Civitatis progeniti, subditi & ipsi ejus Civitatis nascuntur. Servitutem itaque sicu-

ficuti natura non praecipit, ita nec prohibet, quia dominis utilem, fervis non injuriofam. Hinc & fanctiffimos viros, Deo non improbante, fervos obnoxios domi habuiffe legimus, veluti Abraham *Genef. XI.* Imo Deus ipfe fervitutem probavit in veteri Teftamento inter Ifraëlitas, quibus aequiffimas de fervitiis dedit leges *Exod. cap.* 21. & *Levit. cap.* 25.; ac in novo D. Pauli auctoritate *I. ad Corint. VII.* Eritne igitur fervitus ex jure gentium? Nequaquam: nam hoc jure homines liberi nafcuntur, & aequales. At juri gentium non adverfari fervitutem ajo; quum quifque poffit juribus fuis renunciare, praecipue ubi jufta caufa id fuaferit.

86. Nefcio igitur, quid in mentem venerit Rouffoo, qui in contractu fociali adverfus fervitutem infane debacchatur. Ibi ait 1. poffe parentes liberis ftipulari conditiones utiles, ut fint, ac bene fint; eofdem vero perpetuae addicere fervituti, idem profecto effe, ac Naturae finibus contraire. 2. Libertate fefe abdicare idem fonat, ac humanae naturae indoli, humanitatis juribus, fuifque officiis valedicere: demta fiquidem libertate, omnis humanarum actionum moralitas aufertur (§. 59. 63. *P. I.*). 3. Libertatis abdicatio nulla compenfatione aeftimari poteft; ideoque non poteft non effe inutilis. 4. Peffime Grotius, aliique fervitutes a belli jure derivant: hofti namque adverfus hoftes omnia licent, quamdiu hoftes funt, aut hoftium inftrumenta; quod fi arma depofuerint, fefeque dederint, jam ceffabunt hoftium relationes, folaeque fupererunt hominum relationes: funt vero homines natura pares, ac par in parem nullo uti poteft jure, nulloque imperio potitur; nullum itaque jus in fervitutem alios redigendi.

87. At-

87. Atvero parentes liberis nimium utiles stipulantur conditiones, Naturaeque finibus obsequuntur, dum eos servire potius, quam interire volunt; neque humanae naturae indoli contraitur, quum de duobus malis minimum eligitur. Quod vero subditur, demta nimirum libertate, omnem etiam actionum humanarum moralitatem pessumdari, nimis scurrile est, suoque auctore dignum: libertas namque physica, quae sola est actionum humanarum principium constitutivum (§. 59. *P. I.*), servitute non adimitur, quae aliud non efficit, nisi ut servus non sit amplius sui juris, ac dominici juris evadat, ut idcirco solius juridicae libertatis detrimentum ferat. Tertium quoque futile est, quoniam vitae conservationem juridicae libertati longe praestare vel Phryges intelligunt, solus non intelligit Philosophus noster Genevensis. Ultimum speciosum magis est, quam verum. In justo namque bello quamdiu certi omnino haud sumus hostilem animum deposuisse hostem, jus nobis est illum in eum statum redigendi, ut nocere amplius non possit; ideoque eumdem jure adgredimur, resistentem sternimus, rebus ac personis spoliamus; atque hinc oritur servitus (§. 84.). Quod si hostis vi metuque adactus arma deponat, non est id indicio nocendi quoque animum reliquisse; ideoque ejus milites, qui belli fuerunt instrumenta, in captivitate detinemus, donec pax fuerit composita; hac vero constituta, hostiles cessabunt relationes, solaeque supererunt hominum relationes, uti ait Roussous, restituentur captivi, aut tantisper apud nos detinebuntur, donec de expensis plene fuerit nobis satisfactum.

88. Ex dictis quae sint in herili societate utriusque

que partis officia facile est intelligere. Quod enim ad mercenarios spectat servos, quum ii nonnisi ex locato teneantur; quidquid in illos juris hero competit, ex illius pacti indole est derivandum. Potest itaque 1. his herus operas sibi locatas imperare, non alias: coquere *e. g.* non tenetur, quem tamquam cosmetam duximus. 2. eos adigere, ut ad illud usque tempus, de quo est conventum, servitia praestent. 3. Jus habet capiendi omnem fructum ex opera locata provenientem. 4. Si locationi non steterit servus, poterit eum herus mercede ejusve parte mulctare, contumacemque abs se segregare; non vero eum durius castigare, quia id pacto non fuit expressum. Jus autem vendendi servum mercenarium etiam perpetuum hero non competit: hanc quippe conditionem non praesumitur inivisse mercenarius, qui huic domino, non vero alteri, quem duriorem forte nancisceretur, addicere sese voluit. Domini vero est hujusmodi servis conventam mercedem, & alimenta, qualia ejus conditionis hominibus conveniunt, sufficienter praebere. Quid si casu accidat, ut absque sui culpa locatas operas praestare haud potuerit servus, veluti si aegrotet? Jure quidem perfecto ad nihil tenetur dominus, quippe qui ex conducto dumtaxat obligatur; humanitatis tamen fuerit ejusmodi servum alere. Servi mercenarii est Domino tamquam superiori obsequium ac reverentiam exhibere; tamquam conductori conventas operas praestare; tamquam socio, ejus utilitatem bona fide promovere, ejusque servitia ante statutum tempus non deserere.

89 De servis obnoxiis pactitiis modo dicendum. Hi seipsos in perpetuum addixerunt; potest ergo dominus quascumque iis operas imponere, qui-

quibus praestandis pares sunt, ex iisque omnem capere utilitatem; eos negligentes castigare, prout res exigit. Num & eosdem vendere, aliisve quibusvis titulis alienare? Negandum videtur: nam servi pactitii domini personam, ac virtutem elegerunt; adeoque illis non perinde est, quem Dominum habeant, & cui serviant; quum in duriorem causam vendi possint. Nec me quidquam movet heri dominium: hoc quippe non est verum dominium tamquam in res mancipi, sed in personam, vel potius in personae operas; persona vero, quae libere se alteri addicit, heri quoque personam libere elegisse praesumitur. Domini est ejusmodi servis etiam aegrotantibus, senio confectis, aut quomodolibet servire non valentibus alimenta praebere; secus iis esset moriendum, quum nullam aliam recipiant mercedem. Hinc recte Claudius Imperator liberos haberi voluit servos, qui aegroti ab avaris dominis in Aesculapii insula fuerunt expositi, si convaluissent. Domini est etiam ejusmodi servos non exhaurire laboribus, neque adversus eos saevitia uti; imo humanitate, misericordia, beneficentia eosdem sibi devincire summae est prudentiae, summaeque laudis. Servi pactitii obnoxii est non fugere: sui enim furtum faceret domino; praeterquam quod si hic non stet conventionis legibus, *e. g.* alimenta denegando, intolerabiles labores imponendo, contra fas saeviendo. Herus namque tantum habet juris, quantum ex pacto adquisivit; si ergo pacti leges violat, ejus omne jus exspirat. Ejusdem servi est domino qualcumque operas praestare, obsequium & honorem ei exhibere, justasque ejus objurgationes, & castigationes patienter ferre.

90. Servorum bello factorum durior esse solo

let conditio: hi namque hostilem animum adhuc spirant, dominos odio habent, nullam eorum utilitatem intendunt, fugam semper moliuntur (neque id illis adeo vitio verti potest), omnemque ad suos revertendi occasionem aucupantur. Quo obstinatius vero est ingenium, eo severiore opus est cöercitione; hinc compedes, ergustula, carceres domestici, aliaque media excogitavit necessitas, ut ejusmodi servi in officio continerentur. Meminisse tamen debent domini, ejusmodi servos non desinere esse homines, ut proinde humanitati ac misericordiae esse debeat locus: id quippe suadet rerum humanarum conditio, fortunae lubricum, naturae communio. Falsissimum est igitur, servos personas esse desinere, & in rerum classem redigi, nullamque iis fieri injuriam juxta inhumanissimam juris Rom. regulam, quam tenuisse Aristotelem, & Hobbesium valde miror. Sane injuria fieret servo, si castigaretur nihil tale meritus, si contra deditionis leges, si contra humanitatem tractaretur. Domini est ejusmodi servos alere: tacite enim promisit, illos se servaturum (§. 84.). Licet domino eosdem vendere, aliove modo alienare, quascumque operas iis imponere, surreptos vindicare, fugitivos punire; an etiam occidere? Distinguendum: ad libitum, & quacumque ex causa, nequaquam licet, quum servus hac conditione se dederit, ne occideretur, ac nemo possit hominem impune interficere. Si vero servus capitale aliquid admiserit, in statu quidem naturali non videtur negandum domino jus vitae, & necis, quod sane non consistit in promiscua occidendi licentia, sed in jure cöercendi delinquentes supplicio etiam capitali, ubi id meruerint; non secus ac faciunt

ciunt Principes; in statu civili nequaquam, nisi quantum leges Civitatis permiserint.

91. Finitur mercenaria servitus iisdem plane modis, quibus contractus locationis conductionis dissolvitur, praesertim lapsu temporis, in quod conventum fuerat. De servo obnoxio liberam habet herus disponendi libertatem; quare integrum erit ei, accepto lytro, servum dimittere, aut gratuita etiam libertate eum donare, quae *manumissio* dicitur. Quoniam vero qui juri suo renunciat, partem sibi ejus aliquam, si velit, reservare potest; ita & herus manumissionem certis quibusdam legibus circumscribere. Ita veteres Romani a servis manumittendis fabriles operas, dona & munera sibi stipulabantur. Libertatis adquisitio maximum est post vitam beneficium; ea namque amissa, nihil esse potest amplius homini in vita jucundi: hinc manumissus servus summam debet manumittenti domino gratitudinem, sique vires siverint, tantum beneficium beneficiis pensare.

92. Dicamus modo de familia. In statu naturali Paterfamilias solus est familiae suae princeps, ac supremus magistratus. Ei siquidem tamquam marito potestas quaedam competit in uxorem (§. 55.), tamquam patri in liberos (§. 67. 68.), tamquam domino in servos (§. 81. 88. 89. 90.). In eo itaque statu leges nullae praeter mores, aut imperia paterna, ut idcirco primum, & a natura delatum imperium illud sit dicendum, quod *Patriarchicum* vocant Politici; quumque sint singulae familiae sui juris, ac ab omni alia independentes, singulas quoque minoris cujusdam civitatis speciem praeseferre recte dixerit *Aristoteles Polit. III.*, *patresfamilias singuli segreges sunt in domo sua, tamquam in ci-*

vitate, & *sibi ipsis*, *tamquam si socii bellorum essent*, *auxilium ferunt contra injuriam inferentes*. Exempla videre est in antiquis Patriarchis. Abrahamus, Lotho ejus nepote ab hostibus abducto, cum Regibus victoribus justum bellum gessit, junctis sibi aliorum patrumfamilias auxiliis *Genes. XIV.*, foedus iniit cum Abimelecho, *Genes. XXI.*, quod deinde renovavit Isaacus *Genes. XXVI.*; Jacobus cum Labane foedus percussit, *Genes. XXXI.* legemque tulit familiae de amovendis Diis alienis, *Genes. XXXV.*; Judas ejus filius Thamarem nurum suam ob admissum adulterium ad vivicomburii supplicium damnavit, *Genes. XXXVIII.* Cujusque segregis familiae finis erat necessariarum rerum adquisitio, necnon adversus aliorum injurias justa defensio; quare Paterfamilias jura omnia exercebat, quae ad illum finem obtinendum erant necessaria. In statu civili solam rerum necessariarum, vel utilium adquisitionem intendunt familiae.

93. In familia bene constituta omnia redeunt ad ordinem, ideoque singulis in familia certa munia sunt deleganda, ab iisque pensum severe exigendum; singuli quoque partes suas summa sedulitate, justo tempore, locoque exequi debent; nec alter alteri in suis exercendis muniis impedimento esse. Patrisfamilias est uxoris dignitatem, auctoritatemque tueri; hujus vero dare operam, ut omnia ex mariti praescripto fiant, eo absente ejus vice fungi, obsequii ac venerationis exemplum toti familiae praebere.

SE-

SECTIO II.

POLITICA.

CAP. I.

De Civitatum origine, interna constitutione, diversisque formis.

DEFINITIONES

I.

94. Quid sit *Civitas*, vel Respublica, diximus §. 14. & 15.

SCHOLION.

95. Civitas indigitari solet *Status* nomine, quod sit status publicus eorum, ex quibus illa coalescit. Quare in Rom. jurisprudentia definitur *Jus publicum*, quod sit *jus ad statum rei Romanae spectans ff. L. I. tit. I. L. I. publicum* quippe dicitur, quod ad universam spectat Remp.

II.

96. *Populus* est hominum multitudo in Remp. coalita; quodlibet individuum Civitatis consors *Civis* vocatur.

III.

97. *Summum Imperium* est jus libere exercendi ea omnia, quae Reip. conservandae sunt necessaria, quin ab alio possit in eo exercitio turbari, vel ad reddendas gestorum rationes adigi possit. Summi imperii jura *Majestatis jura* nominantur.

IV.

98. *Reipublicae forma* est ea ratio, qua Majestatis jura exercentur.

V.

99. *Monarchia* est Reip. forma, qua jura Majestatis uni competunt personae. Monarchia *Principatus*, ac *Regni* nominibus indigitari solet.

VI.

100. *Aristocratia* est Reip. forma, qua jura Majestatis exercentur a pluribus, qui in Collegio consident, in commune consulunt, & *Senatores*, aut *Proceres*, aut *Optimates* appellantur.

VII.

101. *Democratia* est Reip. forma, qua jura Majestatis sunt penes totum populum in comitiis congregatum; unde & *Politia* vocatur; in ea populus communi consilio Remp. gerit.

SCHO-

SCHOLION.

102. Recensitae tres Rerump. formae sunt legitimae, modo qui parent, voluntates suas summo imperio submiserint; imperantes vero summa potestate non ad proprium, sed ad commune Reip. bonum utuntur. Tribus istis regularibus formis tres vitiosae opponuntur, *Tyrannis* nempe, *Oligarchia*, atque *Ochlocratia*.

VIII.

103. *Tyrannis* est Monarchiae vitium, quo quis vel praeter jus & fas imperium usurpat in civitate libera, vel justo titulo regnat, sed crudeliter, omniaque ad sui commodum trahit.

SCHOLION.

104. Primae tyrannidis exempla videre est in Caesare, & Cromwvello; alterius in Nerone, Domitiano, Commodo.

IX.

105. *Oligarchia* est Aristocratiae vitium, quo pauci loco Collegii Procerum imperium invadunt: vel suae tantum utilitatis causa imperant.

SCHOLION.

106. Ejusmodi fuit Caesaris, Pompeii, Crassi triumviratus; postea Augusti, Antonii, & Lepidi.

X.

107. *Ochlocratia* est Democratiae vitium, quo totius populi loco turba quaedam, vel faex hominum, neglecta communi salute, omnia pro sua libidine decernit.

XI.

108. *Mixta Resp.* dicitur, in qua plures formae simul copulantur, atque una altera veluti temperatur.

SCHOLION.

109. Mixta Resp. *irregularis* dicitur a quibusdam. Quandoque omnes simul miscentur simplices formae, *e. g.* in Britannia est mixtura Monarchiae, Aristocratiae, ac Democratiae; attamen a parte eminentiore vocatur *Britanniae Regnum*. Quandoque binae formae simul copulantur, veluti Monarchia cum Aristocratia, ubi Rex absque Senatu, atque hic sine Rege nihil potest, vel Aristocratia cum Democratia, qualis erat Laconum Resp. pacis tempore, ubi Ephororum Senatus ad populi comitia referre omnia tenebatur. Plures simul miscentur formae, ne singulae in cognata sibi vitia facile deflectant; sicque fiat, ut una alteram in officio contineat.

XII.

110. *Systema civitatum* habetur, quum plures Resp. salva cujusque forma, & independentia, icto foedere, in unam majorem ita coalescunt, ut quae ad omnium salutem ac securi-

curitatem pertinent, communi consilio, junctisque viribus exsequantur.

SCHOLION.

111. Pufendorffius *lib. VII. de J. N. & G. cap.* 5. civitatum systemata oriri ait, vel *mediante communi Rege*, itaut singulae suas habeant leges fundamentales, juxta quas ab eo Rege administrentur, ideoque in unum regnum non coalescant; vel *per foedus*. Id vero non probat Heineccius *lib. II. de J. N. & G. cap. 6.* §. 109. Enimvero in primo casu dici nequit in systema coaluisse duo regna, quae nihil habent inter se commune, sed Princeps tantum duas sustinet personas, uti hodie in Germania, & Hungaria. Superest ergo casus alter nostra definitione expressus. *Salva independentia* diximus; nam si unum regnum alteri subjicitur, ut in communi imperio nullae sint ejus partes, veluti olim regna Macedonicum, Syriacum Romanis subjecta; tunc perdomitum regnum in provinciae formam redigitur, neque cum altero systema aliquod constituit.

XIII.

112. *Anarchia* est Status vitium, quo Resp. nullo amplius communi vinculo continetur.

XIV.

113. *Interregnum* dicitur Reip. status, in quo sedes regia vacat.

XV.

114. *Monarchomachi* dicuntur, qui ad jura Principum subvertenda, & ad popularem, vel Procerum potestatem transferenda contendunt.

XVI.

115. *Machiavelistae* dicuntur, qui in publicae salutis praejudicium omnia ad privata Rectorum civitatis commoda transferre contendunt.

116. Pulchre Tullius *lib. I. cap. 17. de Offic.* Civitatum originem aperit. *Quum hoc sit natura omnium animantium commune, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est; proxima in liberis; deinde una domus communia omnia. Inde autem est principium Urbis, & quasi Reip. seminarium: sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque, qui quum una domo jam capi non possint, in alias domos tamquam in colonias exeunt; sequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui; quae propagatio, & soboles origo est Rerumpublicarum.* Causas constituendarum civitatum impulsivas dedimus §. 20. Cujusvis autem Civitatis unus esse debet scopus, nempe *publica salus*, quae suprema lex sit oportet, ad eamque omnes civium intellectus, ac voluntates contendant, necesse est, adeout tota Resp. veluti una persona moralis (§. 16.) existat, totumque corpus politicum uno communi vinculo contineatur.

117. Hoc autem commune vinculum in tribus istis consistit. 1. In submissione summo imperio. 2. In unione virium. 3. In potestate puniendi. Sane in tanta populi multitudine, in tanta

ta ingeniorum diversitate, in tot contrariis studiis una omnium voluntas speranda non est per *conspirationem*, qua fiat, ut omnes & singuli idem intelligant, idemque decernant; quare non aliud superest medium, nisi ut omnes summo imperio se submittant, ejusque voluntatem pro voluntate totius coetus agnoscant. Deinde sine virium unione communem salutem minime posse obtineri evidentius est, quam demonstrationis egeat; atque inde oritur jus imponendi tributa, habendi delectus militum adversus hostes, disponendi de bonis civium in necessitate, prout e Rep. fuerit: sine his enim publica salus, ac securitas obtineri nequit. Demum quia voluntatum submissio, viriumque unio aliquid ferunt incommodi; eae non diuturnae futurae fuissent, nisi esset medium coercendi, & animadvertendi in eos, quibus illae minus sunt ad palatum. Accedit, quod interna securitas sine judiciis ac poenis haberi nequit (§. 21.). Uno ex his tribus sublato, statim dissolvitur Respublica.

118. At firmissimum Civitatis vinculum, potentissimumque praesidium est Religio, interna justitia, ac virtus. Posita Religione, jam aeterna & inflexibilis quaedam norma dux erit civibus ad obedientiam erga mandata, & Rectorum leges, atque Rectoribus vicissim ad aequissimas leges ferendas, salutemque Reip. unice quaerendam. Ipsum Dei jus, ipsa Summi Numinis auctoritas, cujus pars quaedam ad Civitatum Rectores manavit, subditos in officio continebit. Una est Dei civitas, atque hominum (§.28.P.I.); Deus vero in hac sua civitate imperium, & obedientiam aliorum erga alios constituit; imperantibus, ac subditis certa praescripsit officia, vivendique rationes: nisi haec ita essent, nunquam nec ars, nec

nec doli & fraudes, nec vis denique tantum valuissent apud homines, ut firmas ac bene munitas constituerent Civitates. Tolle Religionem; tolle auctoritatem circumspicientis omnia Numinis, quod in hac vita, & post fata poenas expetet ab iis, qui legum auctoritatem clam, palamve conculcant: solus humani supplicii metus manum cohibebit, non animum; imo nec manum cohibebit eorum, qui gratia valent & auctoritate, vel impunitatem sibi scelerum polliceri possunt, aut qui per vires resistere valent, turbis ac seditionibus Civitatem miscere, modo fortuna viribus faveat, susque deque omnia vertere; solus metus nonnisi misera efficit mancipia, ac, si fuerit occasio, patriae etiam proditores. Hanc Religionis vim adeo intellexerunt Rerump. conditores, ut studiose quisque populorum animis inculcaverit esse Deos, & ad eorum tribunalia cujusque hominis vitam expendi; unde bene praecipit Tullius de Leg. *Sit hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum & moderatores Deos, eaque, quae geruntur, eorum geri vi, ditione & numine; eos denique optime de humano genere mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri; piorum & impiorum habere rationem*. Dat quoque tamquam facti rem: *quis non videat, quam multa firmentur jurejurando? quantae salutis sint foederum religiones? quam multos divini supplicii timor a scelere revocat? quam sancta sit civium inter ipsos societas, Deo immortali interposito, tum judice, tum teste?* Hujus demum rei tanta est evidentia, ut Athei ipsi Religionem a callidis Legumlatoribus inventam esse publicorum commodorum causa, quo civitates consisterent, asserere haud

haud vereantur, ut in naturali Theologia diximus §. 19.

119. Quantum vero praesidii afferat Civitatibus christiana Religio, noverint vel ejus hostes infensissimi. Haec quippe docet, omnem potestatem esse a Deo (1), omnemque hominem subdi-

---

(1) Epist. ad Rom. XIII.: „ omnis anima potestatibus „ sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a „ Deo; quae autem sunt a Deo, ordinata sunt: itaque „ qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem „ resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt „. Hunc textum breviter commentari juvat. (Omnis anima), inquit Apostolus; quae verba explicans Chrysostomus homil. 13. ita loquitur „ ista imperantur omnibus & Sacerdoribus, & „ Monachis, non solum saecularibus ... etiamsi Aposto„ lus, si Evangelista; si Propheta, sive quisquis tandem „ fueris. Est autem prima hujus constitutionis justitia, „ quod a Deo ordinata sunt ista; Deus enim ista exigit, „ ut creatus a Deo Princeps vires suas habeat „. (Potestatibus sublimioribus subdita sit). Potestatis nomen est Angelorum nomen; quare de Principibus tamquam de Angelis sentiendum est; eorumque potestas adeo est sublimis, ut solum Deum habeat superiorem: *omnibus major, solo Deo minor*, ajebat Tertullianus; qui alio in loco de Imperatoribus dicit, *a Deo sunt secundi, post quem primi, ante omnes, & super omnes*; iique Imperatores ethnici erant, & plerumque persequutores. S. Gregorius Papa, Imperatorem Mauritium Dominum suum appellabat, seseque ejus jussioni subditum profitebatur lib. III. epist. 62. Quod vult Deus, libentissime & ex corde a nobis est praestandum; igitur summis Potestatibus non ad oculum, non ex metu, sed hilari animo, atque ex intimo mentis affectu est parendum, quemadmodum insinuat idem Apostolus vers. 5., *ideo subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. (Non est enim potestas, nisi a Deo); Imperii ergo potestas Deum habet auctorem, & institutorem. *Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator; inde potestas illi, unde & spiritus*. Tertullianus in Apologetico cap. 19. *Cujus jussu homines nascuntur, hujus*

ditum esse debere supremis potestatibus non modo ob poenae metum, sed etiam propter conscientiam; Principatum esse divinae ordinationis, ut idcirco qui ei resistit, aeternam sibi damnationem adquirat; Reges nonnisi a Deo accipere potestatem (1), eosque constitui, ut ceteris dominentur, ac disponant terrarum orbem in aequitate, ac justitia (2), eosque suis cum Judicibus

---

jus jussu & Reges constituuntur, Irenaeus lib. V. adversus haereses. Atque optima prorsus comparatio: nam quemadmodum in homine mater est materialis causa corporis, pater causa efficiens; spiritus vero αμεσος a Deo; ita & in Civitate populus est veluti corporis politici materia; pacta, decreta, electio veluti causa efficiens; summum vero Imperium veluti ejus corporis spiritus a Deo habet originem. Ajebat Athenagoras in Apolog. pro christ. Imperatoribus *Regnum divinitus esse collatum*; & Augustinus lib. V. de Civit. cap. 21.: *quae quum ita sint, non tribuamus dandi Imperii potestatem, nisi Deo vero*. (Igitur qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Nimirum summis potestatibus non obtemperare tantumdem est, atque ei ordini adversari, in quo aeterna Dei lex consistit. (Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt). Ea igitur resistentia non est ex levioribus criminibus, sed ex iis, quae in aeternum ducunt interitum.

(1) (Meum est consilium, & aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam. Proverb. VIII.) Nempe unde est consilium, aequitas, prudentia, fortitudo, sapiens justaque legislatio, inde sunt & Principatus; scilicet ab aeterna Dei sapientia fortiter quidem, attamen suaviter omnia disponente. (Audite ergo Reges, & intelligite.. quoniam data est a Domino potestas vobis. Sap. VI.)

(2) (Sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturae, quae a te facta est, ut disponat orbem terrarum in aequitate, & justitia Sap. IX.)

bus esse quodammodo Deos (1), nempe quia divini imperii expressae sunt imagines; iisdem sua jura tribuenda, quemadmodum Dei jura Deo ipsi tribui debent (2); illos esse a Deo secundos, ideoque soli Deo rationes imperii reddituros. Eadem Religio nonnisi mutuam caritatem spirat, imo tota quanta est, in caritate consistit; nedum cuique sua jura reddenda, sed & amore humanitatis ac beneficentiae inimicos etiam esse prosequendos inculcat. Ad rem scribit Seneca lib. 2. de ira cap. 27.; *quam angusta innocentia est ad legem bonum esse! Quanto latius officiorum patet, quam juris regula! Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, quae*

(1) (Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat Psal. 37. Ego dixi, Dii estis, ibid.) Et Athenagoras loc. laud. ad Ethnicos Imperatores Aurelium Antoninum, & L. Valerium Commodum. (Vos quidem in summa Imperii Majestate Orbem gubernatis, ut inde caelestis etiam Regni contemplationem clarius animo quis complecti queat. Ut vobis enim Patri & Filio in potestate sunt omnia, Regno divinitus in vos collato, sic uni Deo, & Filio ejus subjecta sunt omnia).. Apud Homerum quoque Reges passim *Deo nati*; *Deo alumni* appellantur. Miror itaque rabulas nescio quos dicere haud veritos, divini Imperii imaginem in solis probis principibus esse quaerendam: Numquid personae defectus collatam divinitus potestatem minuunt? Augustinus loco laudato: *regnum terrenum* [Deus] *dat piis, & impiis; sicut ei placet, cui nihil injuste placet* . . . . *Qui Mario, ipse C. Caesari; qui Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; qui Constantino Christiano, ipse & Apostatae Juliano*. Sane summum imperium vices gerit universalis mundanae legis.

(2) [Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo). Matth. cap. XXII. Addatur Athenagoras loc. cit. Hieron. epist. 27. ad Dominum.

quae omnia extra publicas tabulas sunt! Nefanda itaque est doctrina Machiavelli in praefatione sphaerae caelestis, ubi dicere nihil veretur, statum civilem sine virtute, sine religione salvum stare & conservari posse. Verum intollerabilis prorsus est Roussoi temeritas lib. IV. cap. 8. *contractus sociulis*, ubi ait demonstrari posse christianam religionem firmae Status constitutioni obesse magis, quam prodesse, imo christianae religionis, ac Status vocabula secum pugnare, eamdem religionem Tyrannidi favere, factosque esse christianos, ut in misera mancipia evadant. Oh linguam amputandam!

120. Majestatis jura confert Imperantibus Deus modo per se *immediate*, ut olim Moysi in populo Judaeo; atque hanc *Theocratiam* vocat Josephus hebraeus: modo per Prophetas, quomodo Saulem, ac Davidem Reges inungi iussit: modo per populum liberum. Sane divinum institutum causas proximas non excludit: summum imperium a Deo est ratione originis; homines imperia introduxere, pacta inierunt, & hodiedum imperantes creant, ubi populo jus est creandi. Quare & in sacris litteris utrumque dicitur, nempe imperium esse a Deo ad Rom. XIII., & *humanam ordinationem*, sive *humanam creaturam* Petr. I. cap. 2. Egregie hanc rem more suo explicat Pufendorffius lib. VII. cap. 2. de J. N. & G. *Extra dubium est, sanam rationem dictasse, post multiplicatum genus humanum, decus, pacem, atque incolumitatem ejusdem subsistere non potuisse, nisi constitutis civitatibus, quae sine summo imperio intelligi nequeunt. Quo ipso etiam civitates, & summum imperium a Deo, tamquam legis naturalis auctore profecta censentur . . . . Et quum in magna hominum multitudine lex naturalis com-*

mo-

mode exerceri nequeat citra imperium civile; patet, Deum, qui istam hominibus injunxit, praecipere quoque, ut societates civiles instituantur, quatenus tamquam media excolendae legi naturali inserviunt. Inde & Deus in sacris litteris id imperium probat, & pro suo agnoscit, ejusque sanctimoniam & venerationem severissimis legibus sancit. Conferantur quae diximus §. 119.

121. Perscrutemur jam quomodo in civitatem primum homines coaluerint. Quum sit civitas insignis hominum multitudo sub communi imperio securitatis suae gratia certis legibus consociata (§. 14.); concipiendum est, plures familias in eumdem convenisse locum, seu quia ex eodem stipite fuerunt prognatae, seu per connubia, seu forte fortuna, seu quia praepotentium metu compulsae. Ejusmodi familiae non aliud agnovere imperium, quam Patriarchicum (§.92.); deinde vero gravissimis de causis (§. 21.) in corpus politicum convenire coactae, consensu & pactis, veluti icto foedere secum coivere, communique imperio sese subjicere decreverunt; hinc personam, personasve elegerunt, a quibus regi vellent; atque in certam imperii formam convenerunt.

122. Hac vero sequuta electione, statim electa persona, vel electae personae juribus Majestatis potiuntur, ut communi incolumitati consulant (§. 97.), quae quum sit ultimus, ac universalis civitatum omnium finis (§. 116.), idcirco omnes omnino cives stringit interna simul atque externa obligatio parendi summo imperio: ac nemo est, qui ab hac obligatione eximere sese valeat, quin civitatis vinculum dissolvat (§. 117.). In summis quoque Imperatoribus oritur obligatio dirigendi civium actiones, interna tamen,

men, ac sine ulla externa coactione (§. 119.).

123. Quoniam vero ad vim pactorum tacitus quoque sufficit consensus; imo & justa vi extortus, necnon ratihabitio (§. 333. 337. P. I.); hinc in civium numero censendi sunt non modo ii, qui pactum illud (§. 121.) expressum iniere primi, sed etiam qui ex illis nascuntur, & qui de novo accedunt cives: priores consentire censentur, quia educantur, tamquam parentibus successuri, dein quum sponte in civitate permaneant, facto suo ratum habent, quod primi fecerunt; posteriores vero quum ad sui libitum constitutae jam civitati adscribi velint, facto suo probant, quod primi gesserunt.

124. Atque haec est ratio, qua liberi homines in Remp. coaluerunt. Quod si vero populi bello devicti fuerint, quia sub jugum mitti, quam perire a victore malunt, tacite consentire intelliguntur (§. 84.). Sane devictae civitates belli jure obsequium victori praestare tenentur, quo ipso consensum suum in subjectionem declarant: victor aliunde obsequium accipiendo, a se non amplius in hostium, sed in subditorum censu victos haberi velle satis ostendit.

125. In Monarchia jura majestatis omnia suo quidem arbitrio, attamen prout est e Rep., solus exercet Monarcha, qui Regis, aut Imperatoris, aut Ducis, aut Principis ἀξιωματι insignitur. Is quidem prudentiores in consilium adhibet, eorum tamen suffragia non sunt sententiae, sed mera consilia. Finge praeter Monarcham ab alio quocumque jus Majestatis independenter exerceri, jam Resp. nasceretur in Rep.; nec esset totius Reip. unus intellectus, unaque voluntas; quo nihil excogitari potest exitiosius.

126.

126. In Aristocratia exercet Majestatis jura totum Optimatium collegium de communi sententia in consessionibus, sive certo definitoque tempore habitis, sive ex improviso extra ordinem indictis; in iisque plurium sententiae vincunt pauciores. At vero ne Aristocratia facile in Oligarchiam degeneret; nihil valide decretum censeri debet, praesertim in magni momenti rebus, nisi maxima Procerum pars, e. g. duae tertiae, praesens fuerit. In pari sententiarum numero nihil actum esse censetur, quum nulla sit ratio sufficiens, cur pars una dimidia alteri dimidiae praeferri debeat. Neque ad rem facit, quod ex alterutra parte stent prudentiores ac meliores: nam praeterquamquod invidiosae sunt ejusmodi comparationes; quis inter pares de melioribus judicium feret? Quod si vero, alterutri parti pondus addat Collegii Praeses, vel *Calculo Minervae* sit locus: tunc pro definita res habetur. Est autem Minervae calculus, quando in pari condemnantium atque absolventium numero reus a criminis poena liberatur. Nam quia condemnatione prior Rei status mutatur, absolutione manet: idcirco nihil actum censetur. Orestes parricidii accusatus, quum in Areopago causam diceret, iique, qui damnandum censebant reum, uno calculo vincerent absolventes, his calculum suum Minervam adjecisse fictum fuit, ut in pari suffragiorum numero absolveretur.

127. In Democratia jura Majestatis exercet totus populus in Comitiis, ubi de rebus obvenientibus consulit in medium, ratumque habetur, quod ille pluribus suffragiis sive curiatim, sive tributim, seu viritim decreverit. Ne Democratia in ochlocratiam degeneret, maxima populi pars conveniat necesse est cum suffragiorum li-

bertate; arcendique sunt demagogi, quorum incitata stimulis plebs furit, omniaque susque deque vertit. At qui fieri potest, ut cives imperantes simul sint, ac subditi? Nempe totus *conjunctim* populus imperat; singuli vero obediunt.

128. In mixtis Rebusp. omnia, vel saltem aliqua Majestatis jura communicari debent cum Procerum collegio, aut cum populi multitudine, ita ut ordo unus, inconsulto altero, decernere nihil valeat: non vero ita dividi potest jurium majestatis exercitium, ut unus, altero inscio aut invito, aliquid agat: secus Resp. in Rep. nasceretur. In systemate civitatum singulae immanentia jura suo arbitrio, transeuntia vero ad communem salutem pertinentia communi exercent consilio: id vero fit, si a singulis destinentur homines, qui in collegium conveniant, ubi consulant in medium, quidque factu opus sit, re prius cum suis civitatibus communicata, decernant.

129. Quaeri hic solet, quaenam optima sit Reip. forma. Monarchicam eam esse confidenter ajo. Nam I. in Procerum imperio potentia divisa est inter plures; quae ubi diversis studiis, sententiisque jactatur, Remp. plane distrahit; in Democratia multo crebrior esse solet animorum dissensio: raro duo consules collegae fuere concordes, rarissime decem Tribuni. At ubi unus imperat, in ejus arbitrio omnes civium sitae sunt voluntates, nec Civitatis corpus potest discerpi a membris, quae cum capite uno conspirant. II. potentior est Monarchia, quia vires habet unitas: in alio quovis regimine distractis voluntatibus, vires quoque Civitatis infringuntur, ut idcirco neque intestinis malis curandis, neque hostibus externis rejiciendis sufficiant; attenuatur

si-

siquidem Resp. scissionibus; non secus ac flumen in rivos deductum. Quapropter in bello unus exercitui praeficitur Imperator; & apud Romanos, si quando Resp. inclinaret, Dictator creabatur. III. justitia in Monarchia sanctius custoditur: Proceres enim sese mutuo respectant, aliis alii indulgent, seu quia juncti sanguine; sive ut cum aliis pari impunitate fruantur; Populum in ferenda sententia non ratio, sed impetus, non consilium, sed furor agere solet. Argumento esse potest Atheniensium Ostracismus. Aristides e. g. damnatus plebis sententia, quum ignotus ipse in media turba ex obvio sciscitaretur, quare Aristidem damnaret? num hominem nosset? *Minime*, respondit alter, *sed quia audio Ostracismo damnandum, & meo id fiat calculo oportet*. Reges autem in Regno, quia supra gratiam sunt, ac supra metum, atque efficacissima est eorum auctoritas ad justitiam conservandam; haud facile ab eadem discedunt. IV. in Monarchia secretiora sunt consilia, celeriter capiuntur, atque exequutioni mandantur: in Aristocratia, ac Democratia consiliorum tarditas habetur, facilisque eorum divulgatio. Sensit saepe Roma Aristocratiae incommoda: quare ajebat Tacitus *politicotatos* annal. lib. I. *discordantis patriae non aliud est remedium, quam si ab uno regatur*. Accedit his omnibus experientia optima rerum magistra, qua docemur, monarchicas Resp. ceteris diutius floruisse: nempe aetatem non ferunt, nisi optima. Quod si Principes quandoque humani aliquid patiantur (homines enim sunt), proprioque indulgeant ingenio; id inter mala naturae est referendum, in quibus minima de malis haud exigua felicitas fuerit. Quanto majora mala in Aristocratia, atque Democratia locum habere possunt?

ditum esse debere supremis potestatibus non modo ob poenae metum, sed etiam propter conscientiam; Principatum esse divinae ordinationis, ut idcirco qui ei resistit, aeternam sibi damnationem adquirat; Reges nonnisi a Deo accipere potestatem (1), eosque constitui, ut ceteris dominentur, ac disponant terrarum orbem in aequitate, ac justitia (2), eosque suis cum Judicibus

---

jus jussu & Reges constituuntur, Irenaeus lib. V. adversus haereses. Atque optima prorsus comparatio: nam quemadmodum in homine mater est materialis causa corporis, pater causa efficiens; spiritus vero *αμεδος* a Deo; ita & in Civitate populus est veluti corporis politici materia; pacta, decreta, electio veluti causa efficiens; summum vero Imperium veluti ejus corporis spiritus a Deo habet originem. Ajebat Athenagoras in Apolog. pro christ. Imperatoribus *Regnum divinitus esse collatum*; & Augustinus lib. V. de Civit. cap. 21.: *quae quum ita sint, non tribuamus dandi Imperii potestatem, nisi Deo vero*. (Igitur qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Nimirum summis potestatibus non obtemperare tantumdem est, atque ei ordini adversari, in quo aeterna Dei lex consistit. (Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt). Ea igitur resistentia non est ex levioribus criminibus, sed ex iis, quae in aeternum ducunt interitum.

(1) (Meum est consilium, & aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam. Proverb. VIII.) Nempe unde est consilium, aequitas, prudentia, fortitudo, sapiens justaque legislatio, inde sunt & Principatus; scilicet ab aeterna Dei sapientia fortiter quidem, attamen suaviter omnia disponente. (Audite ergo Reges, & intelligite.. quoniam data est a Domino potestas vobis. Sap. VI.)

(2) (Sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturae, quae a te facta est, ut disponat orbem terrarum in aequitate, & justitia Sap. IX.)

bus esse quodammodo Deos (1), nempe quia divini imperii expressae sunt imagines, iisdem sua jura tribuenda, quemadmodum Dei jura Deo ipsi tribui debent (2); illos esse a Deo secundos, ideoque soli Deo rationes imperii reddituros. Eadem Religio nonnisi mutuam caritatem spirat, imo tota quanta est, in caritate consistit; nedum cuique sua jura reddenda, sed & amore humanitatis ac beneficentiae inimicos etiam esse prosequendos inculcat. Ad rem scribit Seneca lib. 2. de ira cap. 27.; *quam angusta innocentia est ad legem bonum esse! Quanto latius officiorum patet, quam juris regula! Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, quae*

---

(1) (Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat Psal. 37. Ego dixi, Dii estis, ibid.) Et Athenagoras loc. laud. ad Ethnicos Imperatores Aurelium Antoninum, & L. Valerium Commodum. (Vos quidem in summa Imperii Majestate Orbem gubernatis, ut inde caelestis etiam Regni contemplationem clarius animo quis complecti queat. Ut vobis enim Patri & Filio in potestate sunt omnia, Regno divinitus in vos collato, sic uni Deo, & Filio ejus subjecta sunt omnia). Apud Homerum quoque Reges passim *Deo nati*; *Deo alumni* appellantur. Miror itaque rabulas nescio quos dicere haud veritos, divini Imperii imaginem in solis probis principibus esse quaerendam: Numquid personae defectus collatam divinitus potestatem minuunt? Augustinus loco laudato: *regnum terrenum* [Deus] *dat piis, & impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet .... Qui Mario, ipse C. Caesari; qui Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; qui Constantino Christiano, ipse & Apostatae Juliano*. Sane summum imperium vices gerit universalis mundanae legis.

(2) [Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo). Matth. cap. XXII. Addatur Athenagoras loc. cit. Hieron. epist. 27. ad Dominum.

quae omnia extra publicas tabulas sunt! Nefanda itaque est doctrina Machiavelli in praefatione sphaerae caelestis, ubi dicere nihil veretur, statum civilem sine virtute, sine religione salvum stare & conservari posse. Verum intollerabilis prorsus est Roussoi temeritas lib. IV. cap. 8. *contractus socialis*, ubi ait demonstrari posse christianam religionem firmae Status constitutioni obesse magis, quam prodesse, imo christianae religionis, ac Status vocabula secum pugnare, eamdem religionem Tyrannidi favere, factosque esse christianos, ut in misera mancipia evadant. Oh linguam amputandam!

120. Majestatis jura confert Imperantibus Deus modo per se *immediate*, ut olim Moysi in populo Judaeo; atque hanc *Theocratiam* vocat Josephus hebraeus: modo per Prophetas, quomodo Saulem, ac Davidem Reges inungi jussit: modo per populum liberum. Sane divinum institutum causas proximas non excludit: summum imperium a Deo est ratione originis; homines imperia introduxere, pacta inierunt, & hodiedum imperantes creant, ubi populo jus est creandi. Quare & in sacris litteris utrumque dicitur, nempe imperium esse a Deo ad Rom. XIII., & *humanam ordinationem*, sive *humanam creaturam* Petr. I. cap. 2. Egregie hanc rem more suo explicat Pufendorffius lib. VII. cap. 2. de J. N. & G. *Extra dubium est, sanam rationem dictasse, post multiplicatum genus humanum, decus, pacem, atque incolumitatem ejusdem subsistere non potuisse, nisi constitutis civitatibus, quae sine summo imperio intelligi nequeunt. Quo ipso etiam civitates, & summum imperium a Deo, tamquam legis naturalis auctore profecta censentur . . . . Et quum in magna hominum multitudine lex naturalis commo·*

mode exerceri nequeat citra imperium civile; patet, Deum, qui istam hominibus injunxit, praecipere quoque, ut societates civiles instituantur, quatenus tamquam media excolendae legi naturali inserviunt. Inde & Deus in sacris litteris id imperium probat, & pro suo agnoscit, ejusque sanctimoniam & venerationem severissimis legibus sancit. Conferantur quae diximus §. 119.

121. Perscrutemur jam quomodo in civitatem primum homines coaluerint. Quum sit civitas insignis hominum multitudo sub communi imperio securitatis suae gratia certis legibus consociata (§. 14.); concipiendum est, plures familias in eumdem convenisse locum, seu quia ex eodem stipite fuerunt prognatae, seu per connubia, seu forte fortuna, seu quia praepotentium metu compulsae. Ejusmodi familiae non aliud agnovere imperium, quam Patriarchicum (§.92.); deinde vero gravissimis de causis (§. 21.) in corpus politicum convenire coactae, consensu & pactis, veluti icto foedere secum coivere, communique imperio sese subjicere decreverunt; hinc personam, personasve elegerunt, a quibus regi vellent; atque in certam imperii formam convenerunt.

122. Hac vero sequuta electione, statim electa persona, vel electae personae juribus Majestatis potiuntur, ut communi incolumitati consulant (§. 97.), quae quum sit ultimus, ac universalis civitatum omnium finis (§. 116.), idcirco omnes omnino cives stringit interna simul atque externa obligatio parendi summo imperio: ac nemo est, qui ab hac obligatione eximere sese valeat, quin civitatis vinculum dissolvat (§. 117.). In summis quoque Imperatoribus oritur obligatio dirigendi civium actiones, interna tamen,

men, ac sine ulla externa coactione (§. 119.).

123. Quoniam vero ad vim pactorum tacitus quoque sufficit consensus; imo & justa vi extortus, necnon ratihabitio (§. 333. 337. P. I.); hinc in civium numero censendi sunt non modo ii, qui pactum illud (§. 121.) expressum iniere primi, sed etiam qui ex illis nascuntur, & qui de novo accedunt cives: priores consentire censentur, quia educantur, tamquam parentibus successuri, dein quum sponte in civitate permaneant, facto suo ratum habent, quod primi fecerunt; posteriores vero quum ad sui libitum constitutae jam civitati adscribi velint, facto suo probant, quod primi gesserunt.

124. Atque haec est ratio, qua liberi homines in Remp. coaluerunt. Quod si vero populi bello devicti fuerint, quia sub jugum mitti, quam perire a victore malunt, tacite consentire intelliguntur (§. 84.). Sane devictae civitates belli jure obsequium victori praestare tenentur, quo ipso consensum suum in subjectionem declarant: victor aliunde obsequium accipiendo, a se non amplius in hostium, sed in subditorum censu victos haberi velle satis ostendit.

125. In Monarchia jura majestatis omnia suo quidem arbitrio, attamen prout est e Rep., solus exercet Monarcha, qui Regis, aut Imperatoris, aut Ducis, aut Principis ἀξιώματι insignitur. Is quidem prudentiores in consilium adhibet, eorum tamen suffragia non sunt sententiae, sed mera consilia. Finge praeter Monarcham ab alio quocumque jus Majestatis independenter exerceri, jam Resp. nasceretur in Rep.; nec esset totius Reip. unus intellectus, unaque voluntas; quo nihil excogitari potest exitiosius.

126.

126. In Aristocratia exercet Majestatis jura totum Optimatium collegium de communi sententia in consessionibus, sive certo definitoque tempore habitis, sive ex improviso extra ordinem indictis; in iisque plurium sententiae vincunt pauciores. At vero ne Aristocratia facile in Oligarchiam degeneret; nihil valide decretum censeri debet, praesertim in magni momenti rebus, nisi maxima Procerum pars, e. g. duae tertiae, praesens fuerit. In pari sententiarum numero nihil actum esse censetur, quum nulla sit ratio sufficiens, cur pars una dimidia alteri dimidiae praeferri debeat. Neque ad rem facit, quod ex alterutra parte stent prudentiores ac meliores: nam praeterquamquod invidiosae sunt ejusmodi comparationes; quis inter pares de melioribus judicium feret? Quod si vero, alterutri parti pondus addat Collegii Praeses, vel *Calculo Minervae* sit locus: tunc pro definita res habetur. Est autem Minervae calculus, quando in pari condemnantium atque absolventium numero reus a criminis poena liberatur. Nam quia condemnatione prior Rei status mutatur, absolutione manet: idcirco nihil actum censetur. Orestes parricidii accusatus, quum in Areopago causam diceret, iique, qui damnandum censebant reum, uno calculo vincerent absolventes, his calculum suum Minervam adjecisse fictum fuit, ut in pari suffragiorum numero absolveretur.

127. In Democratia jura Majestatis exercet totus populus in Comitiis, ubi de rebus obvenientibus consulit in medium, ratumque habetur, quod ille pluribus suffragiis sive curiatim, sive tributim, seu viritim decreverit. Ne Democratia in ochlocratiam degeneret, maxima populi pars conveniat necesse est cum suffragiorum li-

bertate; arcendique sunt demagogi, quorum incitata stimulis plebs furit, omniaque susque deque vertit. At qui fieri potest, ut cives imperantes simul sint, ac subditi? Nempe totus *conjunctim* populus imperat; singuli vero obediunt.

128. In mixtis Rebusp. omnia, vel saltem aliqua Majestatis jura communicari debent cum Procerum collegio, aut cum populi multitudine, ita ut ordo unus, inconsulto altero, decernere nihil valeat: non vero ita dividi potest jurium majestatis exercitium, ut unus, altero inscio aut invito, aliquid agat: secus Resp. in Rep. nasceretur. In systemate civitatum singulae immanentia jura suo arbitrio, transeuntia vero ad communem salutem pertinentia communi exercent consilio: id vero fit, si a singulis destinentur homines, qui in collegium conveniant, ubi consulant in medium, quidque factu opus sit, re prius cum suis civitatibus communicata, decernant.

129. Quaeri hic solet, quaenam optima sit Reip. forma. Monarchicam eam esse confidenter ajo. Nam I. in Procerum imperio potentia divisa est inter plures; quae ubi diversis studiis, sententiisque jactatur, Remp. plane distrahit; in Democratia multo crebrior esse solet animorum dissensio: raro duo consules collegae fuere concordes, rarissime decem Tribuni. At ubi unus imperat, in ejus arbitrio omnes civium sitae sunt voluntates, nec Civitatis corpus potest discerpi a membris, quae cum capite uno conspirant. II. potentior est Monarchia, quia vires habet unitas: in alio quovis regimine distractis voluntatibus, vires quoque Civitatis infringuntur, ut idcirco neque intestinis malis curandis, neque hostibus externis rejiciendis sufficiant; attenuatur si-

siquidem Resp. scissionibus; non secus ac flumen in rivos deductum. Quapropter in bello unus exercitui praeficitur Imperator; & apud Romanos, si quando Resp. inclinaret, Dictator creabatur. III. justitia in Monarchia sanctius custoditur: Proceres enim sese mutuo respectant, aliis alii indulgent, seu quia juncti sanguine; sive ut cum aliis pari impunitate fruantur; Populum in ferenda sententia non ratio, sed impetus, non consilium, sed furor agere solet. Argumento esse potest Atheniensium Ostracismus. Aristides e. g. damnatus plebis sententia, quum ignotus ipse in media turba ex obvio sciscitaretur, quare Aristidem damnaret? num hominem nosset? *Minime*, respondit alter, *sed quia audio Ostracismo damnandum, & meo id fiat calculo oportet*. Reges autem in Regno, quia supra gratiam sunt, ac supra metum, atque efficacissima est eorum auctoritas ad justitiam conservandam; haud facile ab eadem discedunt. IV. in Monarchia secretiora sunt consilia, celeriter capiuntur, atque exequutioni mandantur: in Aristocratia, ac Democratia consiliorum tarditas habetur, facilisque eorum divulgatio. Sensit saepe Roma Aristocratiae incommoda: quare ajebat Tacitus *politicotatos* annal. lib. I. *discordantis patriae non aliud est remedium, quam si ab uno regatur*. Accedit his omnibus experientia optima rerum magistra, qua docemur, monarchicas Resp. ceteris diutius floruisse: nempe aetatem non ferunt, nisi optima. Quod si Principes quandoque humani aliquid patiantur (homines enim sunt), proprioque indulgeant ingenio; id inter mala naturae est referendum, in quibus minima de malis haud exigua felicitas fuerit. Quanto majora mala in Aristocratia, atque Democratia locum habere possunt?

CAP. II.

De summi imperii adquirendi modis, ejusdemque affectionibus.

DEFINITIONES

I.

130. *Imperium electivum* dicitur, quando populus, incidente interregno, sibi imperantem creat.

II.

131. *Imperium successivum*, vel hereditarium dicitur, quando ex populi decreto electa est regnatrix quaedam familia, ex qua semper aliqua persona praesit imperio, quamdiu ex posteris aliqua superest, quae per leges publicas praeesse possit.

132. *Affectiones* summi imperii sunt necessariae praerogativae, quibus illud ornari debet.

133. Adquiritur autem summum imperium electione, vel successione, vel demum occupatione. Electione quidem, ut §. 123. dictum est. In regnis electivis populus jus eligendi vel ipse in comitiis exercere, vel certis personis in perpetuum dare, vel ipsi imperanti jus sibi successorem nominandi conferre potest; inciditque interregnum, quoties summus imperans fatis cedit, vel ipse imperio sese abdicat, nisi tamen populus, vivo imperante, alium elegerit ipsi successurum.

134. Quaesitum est, num interregni tempore maneat civitas. Pufendorffius lib. VII. cap. 7. de

J. N.

J. N. & G. ad imperfectam formam tunc temporis Civitatem delabi censet, eamque nonnisi primo pacto (§. 121.) cohaerere ait, sublato altero pacto (§. 123.); Grotius lib. I. de J. B. & P. cap. 3. civitatem in Democratiam redire arbitratur: me judice neutrum est ad rem. Quum enim populus tunc temporis Remp. cessare nolit; plerumque in antecessum Interregem designat, aut aliquem, vel aliquos eligit, qui jura exerceant majestatis, ne anarchiae contingat status, qui omnium est pessimus: soluto namque universali vinculo, omnis generis tyrannides, factiones ac turbae merito sunt metuendae.

135. Ubi successivum est imperium, aut certum succedendi modum statuit populus, aut nihil ea de re disposuit. Si primum, decreto standum erit: si alterum, praesumitur, jus commune de successionibus ab intestato probasse. Quare qui defunctum Principem sanguinis ordine propius consequuti sunt, potiore gaudent successionis jure, & foeminae nonnisi deficientibus masculis, & in subsidium ad successionem admittuntur. Immerito foeminas a regimine excludere quibusdam placuit, tamquam tanto oneri ineptas. Nam in Hebraeorum Rep. summa cum laude Remp. administrarunt Debora, Judith, Esther; & omnium fere gentium annales referunt Reginas, quae immortalem sibi compararunt gloriam regnandi prudentia, rerumque gestarum magnitudine, veluti Placidia, Pulcheria, Irene, Augustae; Blanca Franciae, Isabella Hispaniae, Margarita Angliae, Libussa Bohemorum, Venda Polonorum Reginae; nostrisque diebus vidimus inclitam Imperatricem Teresiam Walburgam Austriacam nulli praecellentissimorum Principum secundam, rerum tum intus, tum foris gestarum

 gran-

granditate nunquam satis laudabilem, quae in augusta filia sua MARIA CAROLINA Civitatem nostram feliciter beante vivere adhuc videtur; necnon Sophiam Augustam Catharinam Alexiovvinam fama super aethera notam, quam nominasse laudasse sit. Non recte igitur ait Plutarchus, *naturae praevaricatio est a foemina gubernari*. Quidquod ea ipsa indoles, quae in foeminis vitium putatur, egregiae virtutis naturam induere potest, ubi ad regni administrationem transfertur: timiditas cautas efficit, lenitas animi clementes, gloriae ambitus ad res maximas moliendas impellit.

136. Idem & de ceteris Reip. formis sentiendum, sive enim Democraticum, sive Aristocraticum sit imperium, qui illud constituerunt, decernere quoque poterant, ut ex imperantibus familiis prognati dumtaxat in Senatu ferendorum suffragiorum jus haberent; vel in comitiis popularibus soli cives originarii, eorumque descendentes sententiam ferrent; atque imperium fuisset successivum: at statuere quoque poterant, ut Proceres a populo plena cum potestate eligerentur, aut ab ipso Collegio cooptarentur in Aristocratia; vel ut cives quoque adscititii in Democratia calculum darent; ac tum imperium quodammodo electivum fuisset.

137. Adquiritur demum imperium occupatione, vi nimirum, atque armis, juste aut injuste: & juste quidem, quando justo titulo praeceditur occupatio, injuste, quando nullo praevio justo titulo subjugantur imperia. Dubitari nequit, quin ejusmodi imperia, ubi desint legitimae causae belli inferendi, occupandique imperii, vera sint latrocinia: quo nomine Scytharum legatus Alexandrum M. totius orbis latronem appellat apud Curtium;

tium; idemque de Romanis merito dici potest. Quod si populus devictus paullatim novo imperio adsuescat, & expresse aut tacite ei consentiat, tunc ratihabitione quadam legitimum evadit, quod ab initio fuit illegitimum.

138. Grotius lib. I. cap. 3. de J. B. & P. imperia in *patrimonialia*, atque *usufructuaria* primus dispescuit, quem deinde Pufendorffius, aliique magno agmine sequuti sunt juris gentium periti, aliis contradicentibus: illa ita esse ait in imperantis potestate, ut pro lubitu alienare, dividere, testamento relinquere possit; ista non item, nisi populi consensus accedat. In illis regni tutela est eorum, quos pater elegerit, in istis est illorum, quibus lex publica, aut populi consensus demandaverit. Illa inter mares, & foeminas dividi possunt; in istis mares foeminis praeferuntur, & inter mares primogenitus. In illis succedere possunt adoptivi, & nothi, non vero in istis. In illis liberi exhaeredati in regnum non succedunt; in istis succedunt, quia successio a populo definiri debet. Sunt & aliae minoris momenti differentiae. Haec autem jura exercuisse Principes omni exceptione majores, comperta prorsus res est. Jacobus moribundus provincias Chanaan prophetico testamento distribuens inter filios dedit Josepho exclusive ad ejus fratres illum terrae tractum, *quem gladio, & arcu suo occupaverat de manu Amorrhaei*, Genes. 49. David, ceteris posthabitis filiis, Salomonem regni successorem instituit Reg. III. cap. 1. Ægipti Rex varias urbes a se devictas Salomoni dedit dotales; ipseque Salomon Hiramo Regi Tyri viginti civitates in terra Galilaee dedit Reg. III. cap. 9.

139. Discriminis ratio inter patrimoniale, & usu-

usufructuarium imperium ex diversis potissimum regni adquirendi modis repetenda videtur Grotio. Sic si qui justam contra se bellandi causam dederint, ubi devicti fuerint, magnam debebunt victori gratiam, qui personalem libertatem, rerumque suarum dominium illis relinquit: retento tamen sibi, suisque in ipsos imperio pleno; irrevocabili; ac quovis modo alienabili. Idem juris sibi vindicabit summus imperans, dum in suam suscipit protectionem eos, quibus alias fuisset pereundum.

140. Civilis imperii affectiones tres esse statuit Pufendorffius, summitatem nempe, a civilibus legibus immunitatem, ac sanctimoniam. Summitas in eo consistit, quod nullum eo majus imperium possit in humanis rebus excogitari, ejusque actus alterius jure non subsint. Sane potestas, cui multi homines ita subjiciuntur, ut ad illius arbitrium voluntates suas attemperare, vires opesque suas adplicare, juri quoque vitae ac necis obnoxii esse cogantur, tanta est, ut alia excellentior fingi nequeat. Hinc & *independens* sit oportet summum imperium: nempe uni Deo, nullique praeterea humanae potestati sunt obnoxii. Nam vel inter se conferuntur summi imperantes, vel cum populo. Si primum; manent omnes in statu naturalis aequalitatis, quum alter alteri nequaquam se subjecerit: si alterum; quum populus summo imperanti se subjecerit, non ille populo; inde manifestum est populis superiores esse summos imperantes.

141. Atque hic duo extremi cavendi sunt errores, *Monarchomachismus*, & *Machiavelismus*, seu *Hobbesianismus*. Primus statuit, populum esse Principe superiorem, ac penes illum esse *realem majestatem*, penes hunc nonnisi *personalem*, esse-

esseque Principem populi administrum, ut proinde possit ille a Civitate in judicium jure vocari, judicari, ac plecti: Realis Majestas in omnium regalium complexione consistit; personalis in praeeminentia personae prae aliis. Inter civitatem ac Regem intercedere Mandati contractum docent Monarchomachi; mandatarium vero teneri mandanti rationem reddere, & coërcitioni esse obnoxium, si mandati fines praetergrediatur. Hic error destruit imperium, quod nullum est, ubi summum non est, Deoque tantum subjectum; imo & Remp. evertit, quae sine summo imperio tamquam communi vinculo consistere nequit (§. 116. & seqq.).

142. Error alter est Machiavelistarum, qui Civitatem adeo Imperanti subjiciunt, ut eum ab omnibus legibus, pactisque eximant, nec unquam ab iis posse civibus fieri injuriam, imo civium vitam, existimationem, facultates, ipsam quoque conscientiam ita in Principum potestate & arbitrio esse, ut illis nonnisi *passiva obedientia* relinquatur; monstrum horrendum, ingens! Ipsum Dei jus, ipsa Dei potentia, tametsi universa ejus subjecta sunt arbitrio, aeterna tamen, atque inflexibili quadam Lege vallata est, ac munita, adversus quam nihil Deo moliri licet (§.36. P.I.): Qui talia effutiunt paradoxa, aeque male de Religione, ac de summis imperantibus promerentur, imo Civitatum finem subruunt, nempe securitatem communemque felicitatem; imperantes demum in summum discrimen, ac vitae periculum adducunt? Augusti vox fuit, *Pietate, & justitia Principes dii fiunt*. Neque tale jus sibi adrogabit bonus Princeps. Nam seu vi aliquis sibi subjecerit populum, seu hic ultro imperantem sibi elegerit; nefas erit Principi populum suum hostili

stili animo prosequi. Priore enim casu, dum in deditionem accepit populum; hostilem animum deposuit: posteriore, nihil aliud intendit populus, nisi ut sub suo Principe felicem, ac tranquillam degat vitam.

143. Altera summi imperii affectio est a civilibus legibus immunitas. Nam 1. leges superioritatem ac subjectionem supponunt: summum vero imperium nec superiorem habet, nec alteri subjicitur. 2. Ipsum imperium fert leges; itaque non seipsum *directe* his legibus, sed cives obstringit; seipsum enim per modum legis, idest per modum superioris, nemo obligare potest, nisi dicere velis, superiorem simul esse aliquem in eodem genere, & inferiorem. Atvero Legislator quandoque lege sua obligatur veluti *per reflexionem*, uti loquitur Pufendorffius, ex naturali aequitate, ac decoro publico, ut quod in moribus civium tamquam publico bono expediens exigit, ipse quoque servet, ideoque subditos facilius obedientes habeat. Id vero obtinet, ubi summus imperans quaedam civibus lege injunxerit, quorum materia in ipsum quoque cadit. *Vita Principis censura est, eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur; nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Quippe infidelis recti magister est metus. Melius homines exemplis docentur, quae imprimis hoc in se boni habent, quod adprobant, quae praecipiunt fieri posse*. Plinius in Paneg. *ut in corporibus, sic in imperio, gravissimus est morbus, qui a capite diffunditur*, *Idem, lib. IV. epist.* 22. Quod si agatur de actibus, qui a Principe, non quatenus Principe, sed a quovis alio fieri solent; tunc civilibus legibus subjicietur, ut recte disputat Grotius *lib. II. de J. B. & P. cap* 14. §. 6.,

§. 6., quamvis & hic coactio nullum habet locum: Princeps enim a nemine cogi potest. Divinis autem legibus teneri summos imperantes, nullus relinquitur dubitationi locus: Horatius *lib. III. Od. I.*

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis.

144. Alia summi imperii affectio est sanctitas, quod nempe sanctum, nempe summum sit nefas summum imperium, summosque imperantes vel minimum violare. Oritur ea sanctimonia ex eo quod civitas voluntatem suam voluntati imperantis subjecit: quare & ad summum quoque obsequium imperio praestandum se obligavit. Huic vero obsequio maxime repugnat, si quis imperanti resistere, eumdem facto suo utcumque laedere conetur; maximumque crimen semper est habitum illud, quo perduelles, ac seditiosi sese obstringunt, quodque ego ne nominare quidem ausim. Consulantur quae supra disputavimus.

CAP. III.

De Juribus Majestatis immanentibus.

DEFINITIONES

I.

145. *Jura Majestatis immanentia*, seu *interna* dicuntur, quae summo imperio ratione civium competunt.

SCHO-

SCHOLION.

146. In civili societate cives a concivibus securi praestari volunt; atque haec est illa, quae *interna securitas* dicitur: quae vero jura exercet Majestas, ut haec obtineatur securitas, immanentia jura dicuntur.

II.

147. *Leges civiles* sunt praecepta generalia summi imperii de actionibus externis indifferentibus ad decus, utilitatemque Reip. componendis.

III.

148. *Justitia externa* esr conformatio externarum actionum cum Legibus.

IV.

149. *Privilegium* est juris concessio uni vel pluribus, aut certo personarum generi facta.

V.

150. *Exemptiones civiles* dicuntur immunitates ab iis, ad quae alii cives obligantur.

VI.

151. *Suprema Jurisdictio* est potestas condendi leges, easque adplicandi ad facta, dicendique juris juxta leges.

VII.

VII.

152. *Jus gladii*, seu *vitae & necis* est jus poenam capitalem sumendi a maleficis.

VIII.

153. *Poena* est effectus malus actionis legi repugnantis.

SCHOLION.

154. *Ejusmodi* effectus consistere potest nedum in malo aliquo passionis, quod vitam, sensum, existimationem, fortunas hominis adficiat, verum etiam in nullitate actus contra Leges suscepti; imo & in utroque: si utrumque complectatur, poena, *perfecta* dicetur; si unum, aut alterum, *imperfecta*. Ejus vero est poenas decernere, & infligere, cujus est Leges condere, si de poena civili sermo sit; non vero de conventionali, ad quam se quis sponte sua obligat.

IX.

155. *Dominium eminens* est jus, quod habet summum imperium disponendi de rebus civium salutis publicae causa in casu necessitatis.

X.

156. *Potestas eminens* est jus, quod habet summum imperium, disponendi de ipsis civibus salutis publicae causa in casu necessitatis.

SCHO-

SCHOLION.

157. Dominium, ac potestas eminens conjunctim *jus eminens* summi imperii vocatur.

XI.

158. *Ærarium* est arca publica ubi asservatur pecunia sustentationi imperantis destinata.

XII.

159. *Fiscus* est arca publica, ubi asservatur pecunia oneribus Reip. ferendis destinata.

SCHOLION.

160. *Fiscus* Latinis est saccus, aut sporta texta viminibus; invaluit deinde usus, ut arca publicae pecuniae continendae destinata Fiscus diceretur. In Monarchiis inter Fiscum, & aerarium vix discrimen aliquod deprehendere est.

XIII.

161. *Tributum* est pecunia, quae pro bonis, quae possident cives, aut pro quaestuoso aliquo negotio, aut pro capite suo solvitur, onerum Reip. ferendorum causa.

XIV.

162. *Vectigal* est peeunia, quae solvitur pro mercium vectura onerum Reip. ferendorum causa.

163. Imperatoriam majestatem oportet legibus esse armatam, adeout eidem necessario competat su-

suprema jurisdictio, potestas nimirum ferendi leges, easque fini, formae, utilitati totius Reip. adtemperandi, jam latas custodiendi, aut si e Rep. esse videatur, antiquandi, aut mutandi. Quum enim in Civitate unus esse debeat omnium intellectus, una voluntas, una omnium conspiratio ad eumdem finem per eadem media obtinendum, idque aliter obtineri nequeat, nisi submissis omnium voluntatibus summi imperantis voluntati, quae nonnisi per generalia quaedam praecepta tota se prodit; manifestum est, primum ac praecipuum jurium majestatis in legislativa potestate consistere.

164. Ut feratur Lex, non sunt rogandae populi voluntates, praeterquam in statu Democratico, ubi multitudinis judicio sciscuntur Leges, nec postquam lata fuerit, ut suum habeat robur, expectanda est populi adprobatio, quum ille jam inde ab initio initae civitatis voluntates suas summo imperio subjecerit. Neque juvat excipere, id factum a primis tantum illis civibus, qui in Remp. coaluerunt: nam qui in Rep. vivunt, in eaque permanent, tacita ea pacta rata habent (*a*). Quod si vero de iis imperiis sermo sit, quorum Majestas ita fuerit pactis modificata, ut non teneant Principis Leges, nisi suffragante Ordinum assensu; tunc iis pactis standum erit.

165. Quoniam civiles Leges sunt generalia praecepta totius Reip. vinculum constituentia (§. 141. 153.), & publica pacta (§. 155.); omni vacat controversia, nullum se civem subtrahere posse a Legum observantia, quin perduel-

(*a*) Proscripta est ab Alexandro VII. haec propositio: *populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam*.

duellionis crimine teneatur; modo id ne fiat summi Imperii privilegio. Hinc & iis Legibus obligatur Sacerdotium): Clerici numquam cives esse desinunt; imo cives prius esse incipiunt, quam Clerici; quin et ipsi observantiae debent praebere exempla, quemadmodum se gerebat Pontifex Magnus Gregorius. Neque vero Legibus est obtemperandum jure dumtaxat gladii, sed & conscientiae nomine. 1. Quia pacta interiorem in conscientia invehunt obligationem; 2. Quia a Deo acceperunt potestatem summi imperantes, atque resistere potestati, Deo resistere est (§. 119.). Hinc vectigalia ac tributa publicis Legibus praescripta solvere tenentur cives ex interna conscientiae obligatione, quippe quae oneribus Reip. ferendis necessaria (§. 161. 162.). At graviora ea sunt, quam par est, inquiet fortasse aliquis mollior casuista. Inepte. Quis enim de Reip. necessitatibus, atque oneribus judicium feret, nisi summus imperans? Deinde si hoc judicium populo permittatur, Leges omnes pessum ibunt: multitudo quippe pro se usque judicabit. Sane Christus rogatus utrum liceret dare Caesari censum, quod magnopere indignabantur id temporis Judaei; *cujus est numisma?* inquit. *Caesaris*, ajunt: & ille: *reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari: quae Dei Deo*; idque suo confirmavit exemplo, dum pro se, & Petro *didrachma* solvit Matth. XVII.; ac juxta divinam Pauli doctrinam, *cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum: cui honorem, honorem*: quasi diceret, *cives estis: omni ergo in re sancte imperio obtemperate*. Animadversione dignum est, non de legibus tantum patriis agi, sed & de Romanis; siquidem ex Provincia Romanorum erant tunc Judaei. Ut vero obligent Leges, civibus promul-

gari

gari illas necesse est: alioquin esset iniquissimum crimini iis dare violationem, ad quorum notitiam Leges pervenire haud potuerunt.

166. Civilis Legis duae sunt partes; praeceptum nempe, & sanctio poenalis. Quum enim vagae sint populo voluntates, & ad libertatem propensae, quae, nisi acrioribus cohibeantur remediis, vix possunt ad officium adduci; hinc non solum praecepto opus est, ut videant quo intendere debeant, sed & intentatis poenis, quibus efficaciter excitentur. Praemia vero non debet Legislator praecepta observantibus (ut in *P. I.*). Æquissimum autem erit praemia largiri iis, qui Reip. bono quid fecerint extra ordinem; nullum enim potentius ad virtutem est incitamentum, quam spes praemiorum, unde vires & animos ignavae etiam mentes ad res magnas gerendas capiant; tolle praemia, dejicientur civium animi, jacebit virtus.

167. Legis qualitates brevi at sententiosa oratione dat B. Isidorus lib. V. Etymol. cap. 21. *Erit lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriae, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, neque aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium scripta.* Sanae justae honestaeque sint oportet civiles Leges: quum enim a Deo sit summum imperium ab eoque suam accipiat potestatem (ut supra), hinc nonnisi honesta justaque statuendi jure potitur. Quidquid ergo juri naturae ac gentium, aut positivis Dei legibus, adversatur, nullo humano praecepto statui potest; quamvis actiones aliquae divinae legi oppositae tolerari possint, in civitate, ne majora eveniant mala, ut in meretricio videre est.

Praeclare itaque se gerent summi Imperantes, ubi illa, quae sacra jura sanxerunt, suis firment legibus, & poenali sanctione communiant: aut divinas prohibitiones ulterius ad casus Lege non expressos proferant, ut eo major divinae legi custodia circumponatur (id vero *sepimentum Legis* vocarunt Hebraeorum magistri); aut Ecclesiae Canonum custodiam suscipiant. Deinde possibiles, secundum naturam, secundum consuetudinem patriae (modo iniqua non sit consuetudo) loco ac tempori convenientes debent esse Leges: eae siquidem civibus imponuntur, ut disciplinae vice fungantur; disciplina vero descriptis instrui debet conditionibus. Necessariae erunt Leges, si ad gliscentia mala exterminanda, vel ad eadem praecavenda erunt destinatae; utiles vero, ubi communem civitatis utilitatem respiciunt. Quid vero Civitatis utilitati conducat, solius summi imperii est definire. Clarae demum sint Leges, necesse est, ne infinitis serendis litibus aperiatur locus. Praeclare Tullius lib. 2. de Leg. scribit: *Constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam, & beatam, conditas esse Leges; eosque, qui primum hujusmodi scita sanxerunt, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscriptis susceptisque honeste lenteque viverent: quaeque ita composita sanctaque essent, eas Leges videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par est, eos, qui perniciosa & injusta populis justa descripserint, quum contra fecerint quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse, quam Leges.*

168. Cujus est Legem ferre, ejusdem est Legem interpretari, mitigare, intendere, imo & antiquare, & ejus gratiam nonnullis facere. Sunt namque hominum mores veluti in fluxu, refluxuque,

xuque, iisque regendis destinantur Leges; quare incidere possunt tempora, quae requirant, ut novae condantur Leges, & antiquentur vetustiores. Monent tamen Politici, nec facile mutandas esse Leges, nisi urgeat necessitas, aut manifesta maximaque utilitas in Remp. inde redundare appareat; nec nisi optime de Rep. meritos earum immunitate esse donandos. Sane Legum conversiones plerumque obices offendunt magno negotio superandos, nec raro cum privatorum incommodis sunt conjunctae. Ajebat Cleon apud Laertium, *meliorem esse statum Reip.*, *quae legibus utitur deterioribus sed firmis*, *ea*, *quae frequenter illas mutat*. Exemtiones vero civiles praeterquam quod juri communi derogant, invidiam usque creant; quare nonnisi optime de Rep. meritis sunt impertiendae, tamquam praemia, quibus Civium in Remp. studia acuantur.

169. Frustraneae forent Leges, nisi civium actionibus possent adplicari, inquirendo imputandumne sit homini factum, necne; debet esse igitur in Civitate potestas judiciaria, nempe judicandi de aliorum factis. Quoniam vero inter aequales nec magistratus, nec poena locum habere potest; nonnisi summo imperio competit ea jurisdictio, quae legislativae potestatis est necessarium consectarium. Haec judicandi potestas viris honestis juriumque peritis demandari potest, ita tamen ut ad summum imperium fieri possit provocatio; ad Principem nempe in Monarchia, ad Procerum Senatum in Aristocratia, ad populum in Democratia. Porro judicia omnia vel in distrahendis civium controversiis, vel in puniendis maleficiis versantur: illa *privata*, seu *civilia* vocantur; haec *publica*, aut *criminalia*. In criminali judicio Legis effe-

ctus, nempe poena, delinquenti imputatur, & infligitur.

170. Pervulgatum erat Stoicorum paradoxon: *Sapientem non dare veniam, nec ignoscere*: id vero late refellit Grotius lib. II. cap. 20. de J. B. & P. Nam 1. si Legislator totam legem tollere potest aut ejus gratiam alicui facere, multo magis ejus partem, poenalem nempe sanctionem. 2. Clementia non minus laude digna, quam justitia. 3. Ignoscit Deus summe sapiens; quidni & summus imperans? 4. Stoicorum fundamentum nimis est fragile; venia est debitae poenae remissio; sapiens vero quod debet, non remittit. Sane poenam debet is, qui peccavit, ideoque puniri potest, quin ei fiat injuria: potest debitori remitti injuria. Viderant hoc & Stoici; qui idcirco dixerunt, sapientem parcere posse quidem, non tamen ignoscere; quasi aliud parcere sit, aliudque ignoscere! Non interim negavero, id haud temere, nec sine justa ratione fieri debere. 1. Quia uti ob justas causas feruntur Leges, ita sine justis causis discedere ab iis minime licet. 2. Quia sic facile vilescunt Leges, & improbis peccandi ansa datur: imo & multi spe impunitatis peccarent. Ratione igitur, & consilio opus est, ut videant imperantes, cui, quibus in rebus, quo loco, & quantum pareant. Sunt crimina quaedam atrociora, quam ut impunita abire debeant; sunt alia, quae ex imperfectione consilii, vel ex ignorantia, licet culpabili proveniunt, quae merentur, ut poena remittatur, saltem mitigetur; bene de Rep. meriti aliqua venia sunt digni; summus denique imperans ad suam ostendendam majestatem loco ac tempore justitiae severitatem clementia, benignitate, indulgentia prudenter temperabit.

179.

171. Alterum Stoicorum paradoxon fuit, delicta omnia esse aequalia, quum omnia a rationis ordine recedant. At quoniam humanae actionis bonitas veluti in veritate, deformitas veluti in falsitate consistit (§. 113. *P. I.*), atque haec ex quolibet defectu contingit (§. 91. *P. I.*), ac falsitas in infinitum augeri, minuive queat (Log. §. 89.): hinc Stoica peccatorum aequalitas lusus est in re seria. Advertit D. Thomas 1. 2. q. 72. art. 2., duorum generum occurrere privationes, *simplices* alias, alias *non simplices*: illae in omnimoda carentia consistunt, veluti mors in totali vitae carentia; istae vero in aliqua, veluti corporis aegritudo ac deformitas: primae illae intendi remittive nequeunt, aliae vero istae augeri minuive possunt, atque in altera hac classe censenda esse delicta. Pulchre Horatius Stoicorum insaniam deridet Serm. 1. 3.

Nec vincet ratio hoc: tantumdem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus sacra Divum legerit: adsit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas,
Nec scutica dignum horribili sectare flagello.

Sane delicta ratione objecti, oppositarum virtutum, ac circumstantiarum, quas (§.68. *P.I.*) commemoravimus, immane quantum differre inter se possunt.

172. Non alium finem respiciunt poenae, nisi Reip. incolumitatem; poenarum igitur finis triplex. 1. Ut summi Imperii Majestas incolumis servetur. 2. Ut intacta sint jura publica, 3. Ut tuta sint jura privatorum. Hinc non omnia delicta punire debet, aut potest Lex civilis, sed

ea tantum, quae tribus iis finibus adversantur Non sunt itaque puniendi actus vitiosi mere interni; lapsus minutissimi, a quibus nemo fere mortalium est immunis; omissiones imperfectorum officiorum, nisi eo usque processerint, ut in dedecus & periculum Reip. vergant; vitia naturae animalis, veluti ambitio, avaritia, nisi ubi ita excreverint, ut civitatem perdere possint. Appotite cecinit Poeta

Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

173. Delictis commensurandae sunt poenae, ita ut delictorum quantitatem, & qualitatem non excedant, nec longe sint iis minores: primum quippe iniquum; alterum poenarum fini non bene consulit, nec peccandi libidinem reprimit. Lex erat XII. Tabularum: *si injuriam faxit alteri, viginti quinque aeris, poenae sunto*. Quam parum metus hac Lege incutiebatur hominibus protervis, & bene nummatis, qui tam tenui mulcta illatas aliis contumelias redimerent? Laesae Majestatis crimen omnium est gravissimum, quippe quod recta Reip. vinculum adoritur, & nequissimam animi improbitatem pandit; quare & atrocissimis plectitur poenis, & sola ejus cogitatio & scientia punitur. Injurias etiam palam Deo illatas rectissime puniunt Leges: Religione siquidem continetur Resp. In proportione poenarum cum delictis aestimanda libidinis quoque facinorum patrandorum habenda est ratio; hinc gliscente delicto, poena intendi solet.

174. In poenis reposcendis tria sunt spectanda. 1. Ut pars laesa in integrum, si fieri potest, restituatur. 2. Ut laesae Legum Majestati satisfiat.

fiat. 3. Ut ceteri cives poenae metu a peccando absterreantur. Hinc vero plura consequuntur. Ac primo privata remissio non satis est ad omnem tollendum poenam, sed solum ad mitigandam; desunt enim duo alia requisita. Sequitur deinde, quod si laesa pars nequeat in integrum restitui, servanda sunt, quae de damni reparatione §.252. *P. I.* dicta sunt. Sequitur tertio, publica a sontibus sumenda esse supplicia ac terribili cum apparatu, nisi alia gravior causa id impediat. Hinc & aliquando poena in mortuis exequutioni mandatur: veluti cum parricidae publice per plateas trahuntur; qui poenam morte antevertunt, mortui in furcam tolluntur, aut comburuntur. Sequitur quarto, non ferre Reip. securitatem, ut poena *talionis* sontibus irrogetur: veluti si homo nullius dignitatis Magistratum percusserit, ipse similiter percutiatur; si ei, qui decem nummos vi eripuerit alicui in publica via, totidem nummi eripiantur. Accedit quod talio persaepe iniquissima esset, nec sine peccato eam exequi liceret. Quid facias homini *e. g.*, qui violentum stuprum, vel adulterium admisit? Quid uxori, quae maritale polluit lectum? Fit etiam aliquando, ut pari nequeat delinquens paria iis, quae fecit; veluti si luscus alteri utrumque oculum excluserit. Circa dicta Exodi cap. XXI. & Levitici cap. XXIV. tradunt communiter Hebraeorum doctores, non rigidam ibi praecipi talionem, sed regulam proponi Judicibus, quam sequerentur in illati damni judicio, atque in mulcta pecuniaria sonti pro ratione delicti imponenda. Hinc illam formulam, *oculum pro oculo, dentem pro dente* nonnisi de justa delicti, poenaeque proportione esse ajunt intelligendam proverbiali quasi loquutione; adeout sensus sit, tantumdem

 sol-

solvat reus, quantum dedisset, ne oculi aut dentis jacturam pateretur, vel quanti deperditos emisset. Rigidae talionis Legem usquam in usu fuisse in populo hebraico negat Bodinus lib. VI. de Rep. cap. ult., quum divina lex Hebraeis lata neque furtum furto, nec vulnus vulnere plecti jusserit; sed furtum duplo, quadruplove, quandoque etiam quintuplo; vulnus poena pecuniaria puniri voluerit Deus Exodi cap. XXIII.

174. Infliguntur delinquentibus poenae, ut corrigantur, nolintque amplius delinquere, vel ut in posterum non possint amplius delinquere: prius obtinetur poenis, quae, salva vita, irrogantur, veluti exsilio, deportatione, relegatione; posterius poena capitis. De Potestate infligenti sontibus mortem lites movit Beccherias in opusculo *De delictis et poenis*, eo praesertim argumento, quod quum careant personae jure vitae, & necis in semetipsas, idem non potuerunt in summum imperium transferre. Accedit, quod Reip. salus capitalem poenam exigere non videtur: haec namque momentanea quum sit, peccandi libidinem non infraenat, prolixum vero supplicium delinquendi appetitum coercet. At qui salva praestabitur Resp. ab inemendabili malefico? nempe carcere, compedibus, custodia. Haec ille.

175. Verum quum sint aliqui tam projectae audaciae, ut nonnisi metu mortis in officio contineantur; idcirco non est neganda summis imperantibus potestas exitialia quaedam membra a Reip. corpore resecandi, *h. e.* morte mulctandi. Deus ipse quum vice summi imperantis in hebraica Rep. fungeretur, multis delictis extremi supplicii poenam taxavit; subsequutique Principes utut piissimi idem omnino praestiterunt:

Chri-

Christianae quoque Resp. eodem usae sunt jure, quin unquam a Pastoribus increparentur ; Christus ipse hanc potestatem exequutricem Rom. Praesidi asseruit , eamque a Deo esse statuit Joann. cap. XIX. ; idem quoque juris ubique ac semper sibi esse voluerunt omnes gentes , segregesque familiae ; idque tam erat Augustino persuasum , ut ab eo Reip. jure aeterni supplicii justitiam tueri haud sit veritus lib. XXI. de civit. Dei cap. 11. (Theolog. natural. §. 22.). Primo argumento illico satisfiet, si dicamus jus illud summis Imperantibus a Deo fuisse collatum . Quod si vero liberalitatis nomine concederemus jura Majestatis a populis in summos imperantes derivari , neque sic quidquam proficeret Beccherias : derivaretur siquidem jus illud , quo quisque fruitur adversus grassatores , atque humani generis hostes (§. 179. *P. I.*) ; non vero jus aliquod in propriam vitam , ut ipse obgannit . Alterum argumentum adversatur experientiae , qua constat , & infelicissimum illud momentum ne vel mille minus infelicibus momentis compensari , & terribiles illos furcae , rotae , candentium forcipum apparatus nedum hominibus vel nequissimis , sed & brutis animantibus summos incutere timores , peccandique licentiam comprimere ; cetera supplicia utut diuturna non item . Adeatur Baelius Dictionarii articulo *Rorarius* . Ultima exceptio ad rem non facit : nam quamvis daremus , ergastulis atque compedibus Civitatem ab inemendabili aliquo malefico praestari securam ; non obtineretur tamen tertius poenarum finis .

176. Ex ipsa poenae definitione (§. 153.) liquet, puniendos esse solos peccantes ; aut qui pec-

peccantibus praesidio fuerunt, aut receptaculo, non vero heredes, multoque minus integras familias, vel vades, qui praeter jus ad ferendum pro alio supplicium se obligarunt. Quid si integra universitas peccaverit? Sunt in ea certe plures insontes, veluti pueri, foeminae, homines pacifici, quos iniquum est punire; nec aeque imperantium severitatem sentire debent, qui ex infirmitate consilii, vel per errorem deliquerunt, ac ii qui duces aut incitatores fuerunt. Quin ne in universitatum poenis remedium sit morbo gravius, prudentiae fuerit, *ut metus ad omnes, poena ad paucos perveniat*.

177. Qui deliquit, ad poenam Lege definitam subeundam est obligatus: quisque namque civis obligatus est ad ea omnia, sine quibus Reip. finis obtineri nequit; quare peccati convictus justam dare debet poenam, neque fas illi est supremae potestati resistere. Non tamen inde consequitur, sontem non posse fugere, multo minus sponte sua offerre se atrocissimis suppliciis debere: id namque humanitatis indoli adversatur.

178. Poena definita esse potest, ut fustigatio, exilium, mulcta, triremes, suspendium; vel indefinita & arbitraria, quae scilicet Judicum providentiae permittitur ob delicti circumstantias, quae variare in infinitum possunt: illa optima est, tum quia Judicum libidini minus obnoxia, tum quia magis homines concutit, quum cernant, quod metuant.

179. Quoniam judiciaria potestas solius est summi imperii (§. 169.), ejus etiam est interiores magistratus creare, qui jus dicant pro Imperantibus, & vicariam exerceant praefecturam; danda tamen est opera, ut nonnisi probi, mune-

nerique pares eligantur. Illa igitur judiciaria potestas, quae exercetur a militia, a Baronibus, ab Episcopis, a Praesidibus, tota a summo imperio derivatur.

180. Qui in civitatem cöeunt, suam vitam, suaque omnia Civitati obligant. Nam quum Civitas defendi & conservari egeat; id quandoque obtineri nequit, quin ejus membra propriam vitam, suaque bona discrimini objiciant; quod potissimum bellorum occasione evenit. Id vero licuisse civibus, nullum potest esse dubium. Licet namque vitam, atque bona rarissimo incertoque exponere periculo, quodque fortassis nunquam continget, ut praesentissimum, assiduumque periculum evitetur: id vero fecerunt homines, ubi ex naturali statu in Remp. coaluerunt (§. 17. 20. 21.). Deinde ubi Civitatis salus in discrimen venit, omnia quoque ejus membra periclitantur, quae proinde ad propriam, communemque defensionem obligantur (§. 185. *P. I.*). Inest igitur summo imperio potestas civium vitas, eorumque bona periculo vel evidenti exponere, siquidem necessitas poposcerit. Inde vero eminens dominium (§. 153.) oritur.

181. Utitur autem hoc jure summus Imperans in extraordinario Reip. statu, veluti bello imminente aut jam illato, grassante fame, furente peste, devastante terraemotu, incendio, aut publica alia calamitate. His in circumstantiis, privatorum bona, nemine excepto, in usum Reip. convertere potest summum Imperium, quo civile corpus servetur. Hinc & subsidia rei frumentariae, pecuniariae potest Civibus imperare, & castris occupare eorum agros, munitiones in illis ponere, suburbanas aedes demoliri, vias publicas novas per eorum fundos aperire, segetes pa-

pabulando colligere, & si quae sunt id genus alia. Peregrinorum quoque bona, si qua sunt in Rep., eidem juri subjiciuntur: nam ad eos quoque pertinet periculum, ideoque eorum opibus defendenda est Resp. Verum quia communia onera ex justitiae lege inter cives certa quadam proportione sunt dispertienda, eamque proportionem non ferat praesentissima necessitas: justissimum plane videtur, ut civibus, qui re sua exciderunt Reip. causa, postea damnum pro rata resarciatur.

182. Quoniam nervus rerum gerendarum est pecunia, sine qua nihil fit, quod opus est; summi imperii erit duas arcas aerarii ac fisci valde locupletare. Locupletatur fiscus fundis ac praediis, quae *domania*, vel *domanialia* dici solent; necnon vectigalibus, tributis, pecuniariis mulctis, praesertim vero rebus dominio vacuis, ne nimium graventur cives contributionibus. Hinc factum est, ut maria territorium adluentia, flumina, sylvas majores, jura piscandi venandique, fodiendi mineralia, bona vacantia, ac thesauros occupandi vindicare sibi soleant summi Imperantes. Gaudet vero in primis fiscus jure cudendae monetae, quod solius est summi imperii. Locupletatur aerarium publicorum agrorum fructibus, qui si defuerint, imponere poterunt civitatum rectores vectigalia ac tributa personis, fundis, mercibus importandis & exportandis, rebus fungibilibus, opificiis, & commerciis, dummodo facultatum habeatur ratio. Ferenda sunt enim publica onera, quae nonnisi civibus imponi possunt.

183. Pertinet demum ad summos Imperantes tota oeconomia civilis, jus scilicet leges ferendi, quae pacta, & contractus regant, quae artes, opificia, commercia, sumptus, luxum, importatio-

tationes, exportationes, pecuniam ejusque usurâm, telonia, mensuras, pondera, ac si quid est aliud; tum jus dandi tutores aut curatores familiis ac personis, ut privatorum bona recte atque utiliter administrentur: idcirco summi Imperantes *Patres*, ac *Pastores* vocantur. Hinc nihil magni in civitate suscipiendum, inscio Principe: quemadmodum nihil in familia fit, inscio & invito Patre. Id vero praecipue dicendum est de scholis, Academiis, universitatibus, Collegiis; tum quia Reip. maxime interest cognoscere qui coetus cöeant, quos ob fines, quibus usibus, ex quibus personis; tum quia litterae ac disciplinae omnes quemadmodum publicae felicitatis, ita & miseriae instrumenta esse possunt. Quare Principis est Collegia & Scholas instituere, bonis legibus instruere, Cathedris viros apprime doctos, diligentes, munerique suo pares praeficere, dare operam ne doctrinae, Religioni, vel Reip. noxiae inculcentur, disciplinae curam gerere.

184. Quaeri illud potest, quid juris Principi sit circa sacra. Necessariam esse in Rep. sacram aliquam potestatem ex eo patet, quod inde pendeat Civitatis felicitas. Itaque si naturalis tantum Religio nobis sectanda praeciperetur, sacra potestas in Civitatibus penes earum Imperantes locum haberet: illa namque nihil continet humanis viribus majus. Hinc apud Romanos jus publicum etiam in sacris & Sacerdotibus consistere statutum est. L. I. D. *De justitia & jure*. At constituta divinitus Christiana Religione, iisque mysteriis consecrata, quorum vis & officia omnem humanam potestatem in infinitum excedunt, jus talium sacrorum nonnisi iis, quibus Deus id proprium esse voluit, convenire potest. Hinc & discreta sunt Sacerdotii, & Impe-

perii jura, ut alteri non liceat in alterius confinia invadere; atque ut a fine Civitatis jura summi Imperii derivantur, ita & Sacerdotum jura a finibus, quibus fundata est Ecclesia, deduci debent. Porro constituta est Ecclesia, ut Christiana Religio praedicaretur, propagaretur, conservaretur, Sacramenta administrarentur; in his igitur nullae sunt summi Imperii partes, quin potius Imperantes Ecclesiae sunt discipuli, ejusque voci submittere se debent. Deinde solius est Sacerdotii *spiritualibus* uti armis, nempe, censuris repellere a participatione divinorum mysteriorum eos, qui a doctrina & pietate desciscunt, rebelles ad Ecclesiam revocare, canones demum condere, seu regulas tradere, quibus concreditum sibi divinitus depositum sarcta tecta custodiatur, agnoscantque ejus subditi quo actionibus suis tendere debeant. In condendis autem novis canonibus ad disciplinam spectantibus summi Imperii est inspicere, utrum illi loco ac tempori conveniant, eorum quoque promulgationem suspendere, ne qua in Rep. perturbatio suboriatur. Canonum vero protectionem suscipere debent summi Imperantes, ne si Ecclesiae disciplina labefactetur, Civitas quoque perturbetur: pravis namque moribus non modicum detrimentum patitur Resp. Hinc saepe rogantur Principes ab Ecclesia in Conciliis, ut dignentur esse Canonum custodes, ac disciplinae protectores. Ratione hujus protectionis prospiciunt summi Imperantes, utrum sacri ministri sancitas ab Ecclesia regulas servent, necne; utrum officio suo rite fungantur: utrum eorum aliquis profanae novitati studeat; utrum ecclesiastica bona rite administrent; atque id genus alia. En ergo quomodo duae illae potestates utut diverso-

sorum generum amicissime inter se conspirant. Sacerdotium in rebus politicis summo Imperio prorsus subjicitur, ejusque Imperii jura ex motivo Religionis praedicat, tuetur, observat: Imperium in rebus *spiritualibus* Sacerdotio subjicitur, ejusque jura auctoritate sua protegit. Facessat igitur illa nescio quorum impia nebulonum vox, Christianam nempe Remp. esse biceps monstrum, ac Remp. in Rep. constituere. Ceterum Religionis ministri tamquam Reip. partes subjiciuntur Imperio, ut in delictis, litibus temporalia spectantibus, contractibus, bonorum possessionibus, ceterisque rebus, quae *temporales* dicuntur, praecipue vero in Legum observantia.

CAP. IV.

De Juribus Majestatis transeuntibus.

DEFINITIONES.

I.

185. *Jura Majestatis transeuntia*, seu *externa* dicuntur ea, quae summum Imperium erga exteros exercere potest.

II.

186. **Bellum est status liberarum gentium, vel hominum in statu naturali viventium, juris sui persequendi causa, vi dolove concertantium, propositumve concertandi retinentium.**

SCHO-

SCHOLION.

187. Bellum definivit Tullius *lib. I. cap. 11. de offic. concertationem per vim*. Atvero animadvertit Grotius *lib. I. cap. 2. de J. B. & P.*, usu obtinuisse, ut non actus, sed status belli nomine veniat: nam saepe actu non inter se dimicant belligerantes, *e. g.* hyeme; manet tamen bellum, quia permanet hostilis status, certandique propositum. Dicitur esse liberarum gentium: nam quae aliarum subsunt imperio, gerendi belli jus non habent. Rursus in statu naturali singulis inest hominibus jus inferendi belli, quum nullum habeant superiorem, qui jus iis dicere queat.

III.

188. *Bellum offensivum* est, quo justa vi jus nobis per injuriam interversum vindicamus.

IV.

189. *Bellum defensivum* est, quo vi justa vim injustam propulsamus. Quare si justa vis nobis inferatur, injustum erit bellum nostrum defensivum.

V.

190. *Induciae* dicuntur suspensio actionum bellicarum ab utraque parte belligerantium intra tempus conventum. Sunt *universales*, quibus bellici omnes actus suspenduntur; *particulares*, quibus aliqui.

co-

C O R O L L A R I U M.

191. Induciae non ad pacis, sed ad belli statum referuntur: permanet namque bellandi propositum, & animus hostilis. Vocabuli etymon est ab *inde ocium*, *h. e.* ab aliquo tempore ocium, feriantibus nimirum bellicis actibus.

VI.

192. *Militia lecta* est, quando unusquisque civis patriae militat; *mercenaria*, quando miles, etiam extraneus, certa mercede conducitur; *socia*, quando foederatae civitates certum copiarum numerum mittere tenentur.

VII.

193. *Causae belli justificae*, quae faciunt, ut justum sit bellum.

VIII.

194 *Causae politicae* sunt, ob quas bellum habetur, ut Reip. utile.

IX.

195. *Praetextus belli* sunt, ubi justae causae praetexuntur, quae tamen non existunt.

X.

196. *Clarigatio* est publica belli denunciatio ab uno populo, vel ejus rectore alteri facta; estque *conditionata*, qua declaratur, illatum iri bellum, nisi de facta injuria satisfiat.

ctoritates, alteram ex lib. XIX. de Civ. Dei, *iniquitas partis adversae justa bella ingerit gerenda sapienti*; iniquitatis nomen pro injuria esse intelligendum ostendit Albericus Gentilis: alterum ex quaest. 10. in Josue: *justa bella definiri solent, quae ulciscuntur injurias: si qua gens vel civitas, quae bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est*. Est autem injuria (§. 152. P. I.) laesio juris alieni perfecti; in hac igitur laesione justa, bellorum causa quaerenda est; quare nec ambigendum justa esse bella tum offensiva, tum defensiva; injusta vero, quae ex utilitate, aut ex praetextibus suscipiuntur; aut sola invitante occasione, vicino *e. g.* imparato, vel aliis bellis occupato; aut ob gloriam rerum gerendarum; vel solo odio religionis; vel ad parandum amplissimum imperium; vel ob denegatum officium imperfectum (§. 475. 432. P. I.), nisi tamen abeat in perfectum, veluti si petatur ex pacto antecedente nempe ex jure adquisito, vel in casu extremae aut gravissimae necessitatis, nimirum ex jure innato. Quid vero ex vicini potentia? Injustum bellum esse ajo: imo etiam ex vicini potentis adparatu, nisi certis constet argumentis, illum arma adversus nos parare; non secus ac arma capere non licet adversus hominem eo solo nomine, quum sit nobis longe ditior, aut magnam sibi comparet famulorum turbam, de malo nobis inferendo pertimescimus. Nonne modicissimae Resp. potentissimis vicinae amicissime inter se vivunt? Ita Helvetia, & Germania.

207. Justa bella non possunt non esse Naturae jure permissa (§. 109. P. I.), nec non jure gentium;

tium; dubitari posset de divino jure positivo. At quia neque in veteri, neque in novo Testamento vetita esse bella reperimus; idcirco nec de divino jure positivo relinquitur ambigendi locus. Sane Deus sanctissimam suam Remp. bellis carere non posse vidit, unde & leges de bello praescripsit Deuteron. cap. 20., bella geri jussit Reg. I. cap. 15.. & bellantibus auxilio fuit. Christus in novo foedere nihil circa politias immutavit; Joannes Baptista milites ad baptismum admisit; Christus accedentem ad se centurionem militiae nuncium mittere non jussit, & Cornelius Centurio Christo placuit, quum militiae vacaret; bellicae actiones, quibus Sancti regna debellarunt, invaluerunt in bello, exercitus exterorum in fugam verterunt, a B. Paulo ad Hebr. XI. fidei tribuuntur; ex fide autem nihil nisi bonum proficisci potest. Tertullianus demum in Apologetico legiones pene omnes Christianorum plenas fuisse asseruit. Scitum est praeterea, veterem fuisse Manichaeorum errorem, bella Christianis fuisse interdicta, eumdemque errorem prolixe ab Augustino lib. 2. contr. Faustum cap. 74. fuisse refutatum, ubi praeter cetera: *ipsum*, ait, *Dominum Jesum audiant, stipendium jubentem reddi Caesari: ad hoc enim tributa praestantur, ut propter bella necessaria militi stipendium praebeatur. Merito & illius Centurionis fidem laudavit, non illius militiae desertionem imperavit*. Mirari ergo subit, errorem jamdiu profligatum a docto Erasmo *in milite Christiano* fuisse resuscitatum.

208. Haec quamvis vera sint, poscit tamen humanitas, ut priusquam bello rem tentemus, blandioribus modis utamur: siquidem nullum acrius malum, nec latius Reip. accidere potest, quam

quam bellum, tametsi justissimum ac secundissimum, quum sit status Reip. extraordinarius, ac violentus; & pax una triumphis innumeris potior. Hinc apud cultas invaluit nationes, ut bellum solemniter indiceretur; unde & belli distinctio inter *solemne* ac *minus* solemne duxit originem. Apud Persas fiebat solemnis postulatio terrae, & aquae; apud Romanos solemnis indictio per Feciales, qui missis prius legatis ad res repetendas clarigatione bellum indicebant; hodie apud Europaeos fieri solet per Legatos quadam veluti clarigatione, & ad tympanorum tubarumque sonitum publicatione. Quae res sat e Natura, atque sapientia. Nam 1. ita constat, non ausu temerario, sed tantum juris gratia, cujus consequendi aliae viae nequidquam fuerunt tentatae, bellum fuisse susceptum. 2. humaniter factum videtur, si pars laesa aequo marte cum hoste congredi, quam eum imparatum veluti per insidias obruere malit. 3. fieri potest, ut sola belli indictio partem alteram ad jus & fas perducat, ac parcatur sanguini. At non idcirco dicendum injustum esse minus solemne bellum, quod non solemnitas, sed jus facit esse justum. Quod si ab altera parte offeratur satisfactio, quae exaequet injuriam, seu id fiat ante susceptum bellum, seu illo jam suscepto, nullus amplius bello justo relinquitur locus: obtento namque fine, cessant media.

209. Causas belli justificas liquidas esse oportet (§. 96. P. I.). Atque hic duo sunt vitandi contrarii excessus, nempe I. sine deliberatione, sine maturo consilio non est in arma proruendum. 2. cavendum est, ne longis deliberationibus Resp. in discrimen adducatur: saepe enim, *Roma deliberante, Saguntum perit*. Quid si cau-

sa

sa fuerit dubia? Procurandum est, ut ad liquidum perducatur, omniaque sunt tentanda media, ut bellum impediatur, & de controversia amice transigatur; magis autem ad id tenetur, qui petit, quam qui possidet: nam possessorem in ipso jure naturali favor prosequitur, quum certa sit possessio, jus vero incertum. Tria media proponit Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. 23., colloquia nempe, compromissum, & sortem. Primum medium est colloquium inter Legatos, vel exercituum imperatores, vel ipsos Reges, propositis ex utraque parte rationibus, exceptionibus, atque conditionibus: sic enim haud difficile lites terminantur. Secundum est compromissum, seu arbitrium, nempe ad arbitros provocatio. Nam quamvis summi Imperantes nullum habent judicem; potest tamen unusquisque juri suo renunciare, aliorumque arbitrio se subjicere. At alterum hoc medium suis laborat difficultatibus. Tertium est sors: in dubio enim res optime Deo committitur, in cujus manu est sors, quae cadit, prout ei visum. Proverb. XVIII. Atvero inquies, incertum esse sortis eventum, ideoque posse aeque vincere qui justam, ac qui injustam habet causam: Ita prorsus: at incertus aeque est belli eventus, nec semper justos sequitur victoria. Quod si in dubia causa nemo adhuc possideat, sorti aut divisioni dandus est locus, ut qui neutri consentire velit, jam in mala causa esse incipiat.

210. Sorti affine est *bellum repraesentativum*, quo scilicet selecti quidam ex utroque exercitu homines committuntur; qui exercitum utrumque repraesentant, ac inter se singulare ineunt certamen, addita conditione, utra pars victoriam reportaverit, ut ea ab integro exercitu

reportata, intelligatur. Exempla reperire est apud Livium lib. I. ubi Romani & Albani exercitus jam in procinctu stantes tres utrimque fratres, illi, Horatios, isti Curiatios hoc modo commiserunt. Quandoque ipsi belli duces hac ratione congressi sunt, ut Æneas, & Turnus apud Virgil. Æneid. XI. Licitum esse ejusmodi bellum, non est cur dubitemus: si enim integros numerosos exercitus committere possunt summi Imperantes, quidni & paucos homines? ita res in compendium mittitur, & sanguini parcitur. Utrum vero expediat tale bellum, merito dubitatur. Nam in justo bello populus uno praelio victus reliquis viribus novo praelio novam fortunam experiri valet, in repraesentativo nequaquam; atque ita aleae exponitur universa Resp. Deinde qui victor existit, certus esse nequit an victus, integris adhuc viribus, compromissum sit impleturus; ideoque ex repraesentativo verum bellum enascetur.

211. Quaesitum est, an justum sit bellum ex sola causa Religionis. Si qui a vera aberrant Religione, sibi tantum noceant, arma adversus eos capere non licet, nisi tamen speciale accedat Dei mandatum. Sic Josue, Deo jubente Chananaeos bello prosequutus est, eosdem occidit, quia completae erant eorum iniquitates: Moabitas vero & Idumaeos non multo meliores non attigerunt Israelitae, quia nullum habuerunt Dei mandatum. Quod si vero illi suos errores, suave vitia per vim aut fraudem inferre in Civitatem conentur, licebit eos ferro adgredi, quia Reip. infertur injuria. Ita contra Antiochum, aliosque ad idololatriam impellentes justissima bella gesserunt Machabaei.

212.

212. Quaesitum est 2. an pro levi injuria licita sint bella. Affirmat Heinecius in praelect. ad Pufendorf. lib. II. cap. 16., attento mero naturae jure. Nam 1. laedens etiam in re minima & satisfactionem denegans, hostilem animum ostendit. 2. qui in minimo laesit, plura ac majora affectabit, ubi erit occasio. 3. quemadmodum in statu civili ob minimam injuriam datur actio ut in integrum restituamur; ita & de bello sentiendum in statu naturali. Ego autem in contraria omnia abeo. Ac 1. illud ab Heinecio quaeram, sitne licitum pro levissima recuperanda re vitam discrimini objicere? Obstat sane lex de minimis eligendis malis. Licebit vero Reip. tot hominum capita periculo exponere, atque innumera belli mala subire pro levissimo amoliendo malo? Oh! Quid si Resp. in bello succumbat? Laudatur Silio Italico Fabius, qui

Cauta speculator mente futuri,
Nec laetus dubiis parvisque lacessere Martem.

2. sive repellenda, sive resarcienda est injuria, sive etiam vindicanda; semper justitia inter injuriam, ejusque remedium proportionem exigit (§. 192. 194. 195. P. I.); nec minutissimos lapsus puniunt civiles Leges, neque poenas reposcunt delictis improportionatas. Vera quidem est prima Heinecii ratio: at si prudentis, & magnanimi est viri leves contemnere injurias; quanto magis Reip.? Ajo secundo, tunc Civitatem arma arrepturam, quum majora peccabit, qui in minimo peccavit. Ajo tertio, actionem levium injuriarum in statu civili nulla afferre Reip. detrimenta, bellum

dum vero gravissima. Ridebunt fortassis ad has nostras quaestiunculas, qui tractant arma: *armatus ut jura cogitem?* inquit ille. Verum meminerint illi, duo esse genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: nos oratione, & juribus decertamus; ipsi armis & vi; nec ad arma deveniendum, nisi salva prius sint jura, sine quibus nonnisi chaos in hominum genere.

212. Quaesitum est 3. num recte pro aliis bellum geratur. Ac 1. si pacto vel foedere obligati simus, nullum esse potest dubium. 2. jus mutui auxilii toti hominum generi commune, etiam nullo foedere existente, licita facit esse bella pro aliis, qui vel injuste petuntur, vel juste injurios aggrediuntur. 3. si belli incendium prope nos ardeat, nosque invadere minitetur, quis vitio vertet, si ad extinguendum ignem accurramus? Nihil autem interest, eademne sacra nobiscum colant, quos adjuvamus: nam religionum disparitas causae justitiam non corrumpit. Donec igitur justum sit bellum, recte pro aliis pugnatur.

213. Ex ipsa belli definitione patet, bellandi jus solius esse summi Imperii, quod liberas gentes repraesentat. Id etiam manifeste sequitur ex fine Civitatum. Unius igitur summi Imperantis est milites legere, vel conducere, urbes & castra munire, aerarium militare pecunia, armamentaria tormentis & armis, navalia navibus, granaria commeatu replere, belli justitiam examinare, bellum ipsum decernere, milites hostibus summo etiam cum periculo opponere, leges de militari disciplina ferre, eaque omnia efficere, sine quibus finis, externa nempe securitas obtineri nequit.

Con-

Consequitur ex his, Praetores, Praesides, Magistratus Provinciae Praepositos, aut armorum Duces, qui sunt in praesidiis, injussu Imperantis bellum non posse decernere, si id non habeant in mandatis; posse vero in repentino tumultu, imo & ex officio debere hostium vim propellere, si vires adsint: id enim poscit officium tutelae Provinciae. Quin & populi ipsi ex ingenito tutelae jure vim hostium repentinam cohibere, eosdem persequi, ac male mulctare possunt. Consequitur 2. summum esse nefas illud tumultuum genus; quod vulgo belli civilis nomine venit, quod nempe cives inter se, vel cum ipsa Rep. gerunt. 3. quoniam ubi ex una parte jus adest, ex altera nascitur obligatio, hinc tenentur militiae nomen dare qui leguntur cives; iique castra non deserere, stationem servare etiam cum vitae periculo, manus cum hostibus conserere, a militia ante condictum tempus non abscedere, Ducibus ad oculum obtemperare ex justitia debent.

214. Quando ad arma semel ventum est, in justo bello omnia in hostem licent, sine quibus nec tueri jus nostrum possumus, nec res tueri, dum ne ex illarum rerum sint genere, quas natura prohibet, aut singularia gentium jura excipiunt. Id vero obtineri nequit, nisi hostis eum in statum redigatur, ut vel non possit, vel nolit amplius hostilem animum ostendere. Quare licebit hostem vi petere, in acie igne ferroque perdere, armis, commeatu, opibus, personis spoliare, ejus populari agros, solo aequare urbes, milites abducere captivos, stratagematibus circumvenire, cessantibus etiam omnibus humanitatis officiis, quae possent hostem validiorem efficere. Contra vero nefas est magicis uti artibus,

XI.

197. *Stratagemata* sunt actus bellici improvisi astutiae debiti.

XII.

198. *Postliminium* est in pristinum statum restitutio rerum, aut personarum ab hoste captarum, & in potestatem gentis suae denuo venientium.

XIII.

199. *Represaliae* sunt civium manus injectiones in res alterius Reip. alias amicae, vel ejus subditorum Principis auctoritate ob denegatam sibi, vel subditis suis justitiam.

SCHOLION.

200. Barbarum est represaliarum vocabulum, latina lingua aliud non suppeditante, quod ejus indolem exprimat; attamen retinendum, quia ex quo jus illud invaluit, ita vocari coepit; ab italica voce *ripresa* ducit originem. Exercetur autem jus represaliarum, quum unius Reip. cives injiciunt manus in res alterius, etiam pacis tempore, ob denegatum jus perfectum, ac certum; dummodo tamen accedat summi imperii auctoritas. Interim eae res *arresto* constringuntur quoadusque satisfactio obtineatur. Quandoque non res, sed personae alterius Reip. *arresto* subjiciuntur; eaque captura *androlepsia*, seu *vicecapio* nominatur.

XIV.

XIV.

201. *Foedera* sunt conventiones liberarum gentium de rebus ad utriusque, vel alterius Reip. utilitatem pertinentibus. Sunt *aequalia* si aequales statuuntur praestationes, adeout par sit utriusque conditio; *inaequalia*, si alius foederatus deterioris, alius melioris est conditionis.

XV.

202. *Foedera personalia* dicuntur, quae Imperantis personam respiciunt, & cum persona exspirant: *realia*, quae ad Remp. pertinent, ideoque extinctis etiam populi rectoribus perdurant, quia in gratiam Reip. sunt inita.

XVI.

203. *Foedus pacis* est conventio inter gentes mutuo bello implicatas, qua controversiae per modum transactionis finiuntur.

XVII.

204. *Obsides* sunt personae, quae in debiti securitatem traduntur.

XVIII.

205. *Legati* sunt personae, quae a gente una ad aliam mittuntur summi Imperii auctoritate publici negotii causa.

206. *Causa justa belli suscipiendi nulla alia esse potest, nisi injuria*, ait Grotius lib. II. cap. 1. de J. B. & P., allegatque duas B. Augustini au-

ctoritates, alteram ex lib. XIX. de Civ. Dei, *iniquitas partis adversae justa bella ingerit gerenda sapienti*; iniquitatis nomen pro injuria esse intelligendum ostendit Albericus Gentilis: alterum ex quaest. 10. in Josue: *justa bella definiri solent, quae ulciscuntur injurias: si qua gens vel civitas, quae bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est.* Est autem injuria (§. 152. P. I.) laesio juris alieni perfecti; in hac igitur laesione justa, bellorum causa quaerenda est; quare nec ambigendum justa esse bella tum offensiva, tum defensiva; injusta vero, quae ex utilitate, aut ex praetextibus suscipiuntur; aut sola invitante occasione, vicino *e. g.* imparato, vel aliis bellis occupato; aut ob gloriam rerum gerendarum; vel solo odio religionis; vel ad parandum amplissimum imperium; vel ob denegatum officium imperfectum (§. 475. 432. P. I.), nisi tamen abeat in perfectum, veluti si petatur ex pacto antecedente nempe ex jure adquisito, vel in casu extremae aut gravissimae necessitatis, nimirum ex jure innato. Quid vero ex vicini potentia? Injustum bellum esse ajo: imo etiam ex vicini potentis adparatu, nisi certis constet argumentis, illum arma adversus nos parare; non secus ac arma capere non licet adversus hominem eo solo nomine, quum sit nobis longe ditior, aut magnam sibi comparet famulorum turbam, de malo nobis inferendo pertimescimus. Nonne modicissimae Resp. potentissimis vicinae amicissime inter se vivunt? Ita Helvetia, & Germania.

207. Justa bella non possunt non esse Naturae jure permissa (§. 109. P. I.), nec non jure gentium;

tium; dubitari posset de divino jure positivo. At quia neque in veteri, neque in novo Testamento vetita esse bella reperimus; idcirco nec de divino jure positivo relinquitur ambigendi locus. Sane Deus sanctissimam suam Remp. bellis carere non posse vidit, unde & leges de bello praescripsit Deuteron. cap. 20., bella geri jussit Reg. I. cap. 15.. & bellantibus auxilio fuit. Christus in novo foedere nihil circa politias immutavit; Joannes Baptista milites ad baptismum admisit; Christus accedentem ad se centurionem militiae nuncium mittere non jussit, & Cornelius Centurio Christo placuit, quum militiae vacaret; bellicae actiones, quibus Sancti regna debellarunt, invaluerunt in bello, exercitus exterorum in fugam verterunt, a B. Paulo ad Hebr. XI. fidei tribuuntur; ex fide autem nihil nisi bonum proficisci potest. Tertullianus demum in Apologetico legiones pene omnes Christianorum plenas fuisse asseruit. Scitum est praeterea, veterem fuisse Manichaeorum errorem, bella Christianis fuisse interdicta, eumdemque errorem prolixe ab Augustino lib. 2. contr. Faustum cap. 74. fuisse refutatum, ubi praeter cetera: *ipsum*, ait, *Dominum Jesum audiant; stipendium jubentem reddi Caesari: ad hoc enim tributa praestantur, ut propter bella necessaria militi stipendium praebeatur. Merito & illius Centurionis fidem laudavit, non illius militiae desertionem imperavit*. Mirari ergo subit, errorem jamdiu profligatum a docto Erasmo *in milite Christiano* fuisse resuscitatum.

208. Haec quamvis vera sint, poscit tamen humanitas, ut priusquam bello rem tentemus, blandioribus modis utamur: siquidem nullum acrius malum, nec latius Reip. accidere potest, quam

quam bellum, tametsi justissimum ac secundissimum, quum sit status Reip. extraordinarius, ac violentus; & pax una triumphis innumeris potior. Hinc apud cultas invaluit nationes, ut bellum solemniter indiceretur; unde & belli distinctio inter *solemne* ac *minus* solemne duxit originem. Apud Persas fiebat solemnis postulatio terrae, & aquae; apud Romanos solemnis indictio per Feciales, qui missis prius legatis ad res repetendas clarigatione bellum indicebant; hodie apud Europaeos fieri solet per Legatos quadam veluti clarigatione, & ad tympanorum tubarumque sonitum publicatione. Quae res sat e Natura, atque sapientia. Nam 1. ita constat, non ausu temerario, sed tantum juris gratia, cujus consequendi aliae viae nequidquam fuerunt tentatae, bellum fuisse susceptum. 2. humaniter factum videtur, si pars laesa aequo marte cum hoste congredi, quam eum imparatum veluti per insidias obruere malit. 3. fieri potest, ut sola belli indictio partem alteram ad jus & fas perducat, ac parcatur sanguini. At non idcirco dicendum injustum esse minus solemne bellum, quod non solemnitas, sed jus facit esse justum. Quod si ab altera parte offeratur satisfactio, quae exaequet injuriam, seu id fiat ante susceptum bellum, seu illo jam suscepto, nullus amplius bello justo relinquitur locus: obtento namque fine, cessant media.

209. Causas belli justificas liquidas esse oportet (§. 96. P. I.). Atque hic duo sunt vitandi contrarii excessus, nempe I. sine deliberatione, sine maturo consilio non est in arma proruendum. 2. cavendum est, ne longis deliberationibus Resp. in discrimen adducatur: saepe enim, *Roma deliberante, Saguntum perit*. Quid si cau-

sa fuerit dubia? Procurandum est, ut ad liquidum perducatur, omniaque sunt tentanda media, ut bellum impediatur, & de controversia amice transigatur; magis autem ad id tenetur, qui petit, quam qui possidet: nam possessorem in ipso jure naturali favor prosequitur, quum certa sit possessio, jus vero incertum. Tria media proponit Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. 23., colloquia nempe, compromissum, & sortem. Primum medium est colloquium inter Legatos, vel exercituum imperatores, vel ipsos Reges, propositis ex utraque parte rationibus, exceptionibus, atque conditionibus: sic enim haud difficile lites terminantur. Secundum est compromissum, seu arbitrium, nempe ad arbitros provocatio. Nam quamvis summi Imperantes nullum habent judicem; potest tamen unusquisque juri suo renunciare, aliorumque arbitrio se subjicere. At alterum hoc medium suis laborat difficultatibus. Tertium est sors: in dubio enim res optime Deo committitur, in cujus manu est sors, quae cadit, prout ei visum. Proverb. XVIII. Atvero inquies, incertum esse sortis eventum, ideoque posse aeque vincere qui justam, ac qui injustam habet causam. Ita prorsus: at incertus aeque est belli eventus, nec semper justos sequitur victoria. Quod si in dubia causa nemo adhuc possideat, sorti aut divisioni dandus est locus, ut qui neutri consentire velit, jam in mala causa esse incipiat.

210. Sorti affine est *bellum repraesentativum*, quo scilicet selecti quidam ex utroque exercitu homines committuntur; qui exercitum utrumque repraesentant, ac inter se singulare ineunt certamen, addita conditione, utra pars victoriam reportaverit, ut ea ab integro exercitu re-

reportata, intelligatur. Exempla reperire est apud Livium lib. I. ubi Romani & Albani exercitus jam in procinctu stantes tres utrimque fratres, illi, Horatios, isti Curiatios hoc modo commiserunt. Quandoque ipsi belli duces hac ratione congressi sunt, ut Æneas, & Turnus apud Virgil. Æneid. XI. Licitum esse ejusmodi bellum, non est cur dubitemus: si enim integros numerosos exercitus committere possunt summi Imperantes, quidni & paucos homines? ita res in compendium mittitur, & sanguini parcitur. Utrum vero expediat tale bellum, merito dubitatur. Nam in justo bello populus uno praelio victus reliquis viribus novo praelio novam fortunam experiri valet, in repraesentativo nequaquam; atque ita aleae exponitur universa Resp. Deinde qui victor existit, certus esse nequit an victus, integris adhuc viribus, compromissum sit impleturus; ideoque ex repraesentativo verum bellum enascetur.

211. Quaesitum est, an justum sit bellum ex sola causa Religionis. Si qui a vera aberrant Religione, sibi tantum noceant, arma adversus eos capere non licet, nisi tamen speciale accedat Dei mandatum. Sic Josue, Deo jubente Chananaeos bello prosequutus est, eosdem occidit, quia completae erant eorum iniquitates: Moabitas vero & Idumaeos non multo meliores non attigerunt Israelitae, quia nullum habuerunt Dei mandatum. Quod si vero illi suos errores, suave vitia per vim aut fraudem inferre in Civitatem conentur, licebit eos ferro adgredi, quia Reip. infertur injuria. Ita contra Antiochum, aliosque ad idololatriam impellentes justissima bella gesserunt Machabaei.

212.

212. Quaesitum est 2. an pro levi injuria licita sint bella. Affirmat Heinecius in praelect. ad Pufendorf. lib. II. cap. 16., attento mero naturae jure. Nam 1. laedens etiam in re minima & satisfactionem denegans, hostilem animum ostendit. 2. qui in minimo laesit, plura ac majora affectabit, ubi erit occasio. 3. quemadmodum in statu civili ob minimam injuriam datur actio ut in integrum restituamur; ita & de bello sentiendum in statu naturali. Ego autem in contraria omnia abeo. Ac 1. illud ab Heinecio quaeram, sitne licitum pro levissima recuperanda re vitam discrimini objicere? Obstat sane lex de minimis eligendis malis. Licebit vero Reip. tot hominum capita periculo exponere, atque innumera belli mala subire pro levissimo amoliendo malo? Oh! Quid si Resp. in bello succumbat? Laudatur Silio Italico Fabius, qui

Cauta speculator mente futuri,
Nec laetus dubiis parvisque lacessere Martem.

2. sive repellenda, sive resarcienda est injuria, sive etiam vindicanda; semper justitia inter injuriam, ejusque remedium proportionem exigit (§. 192. 194. 195. P. I.); nec minutissimos lapsus puniunt civiles Leges, neque poenas reposcunt delictis improportionatas. Vera quidem est prima Heinecii ratio: at si prudentis, & magnanimi est viri leves contemnere injurias; quanto magis Reip.? Ajo secundo, tunc Civitatem arma arrepturam, quum majora peccabit, qui in minimo peccavit. Ajo tertio, actionem levium injuriarum in statu civili nulla afferre Reip. detrimenta, bellum

dum vero gravissima. Ridebunt fortassis ad has nostras quaestiunculas, qui tractant arma: *armatus ut jura cogitem?* inquit ille. Verum meminerint illi, duo esse genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: nos oratione, & juribus decertamus; ipsi armis & vi; nec ad arma deveniendum, nisi salva prius sint jura, sine quibus nonnisi chaos in hominum genere.

212. Quaesitum est 3. num recte pro aliis bellum geratur. Ac 1. si pacto vel foedere obligati simus, nullum esse potest dubium. 2. jus mutui auxilii toti hominum generi commune, etiam nullo foedere existente, licita facit esse bella pro aliis, qui vel injuste petuntur, vel juste injurios aggrediuntur. 3. si belli incendium prope nos ardeat, nosque invadere minitetur, quis vitio vertet, si ad extinguendum ignem accurramus? Nihil autem interest, eademne sacra nobiscum colant, quos adjuvamus: nam religionum disparitas causae justitiam non corrumpit. Donec igitur justum sit bellum, recte pro aliis pugnatur.

213. Ex ipsa belli definitione patet, bellandi jus solius esse summi Imperii, quod liberas gentes repraesentat: Id etiam manifeste sequitur ex fine Civitatum. Unius igitur summi Imperantis est milites legere, vel conducere, urbes & castra munire, aerarium militare pecunia, armamentaria tormentis & armis, navalia navibus, granaria commeatu replere, belli justitiam examinare, bellum ipsum decernere, milites hostibus summo etiam cum periculo opponere, leges de militari disciplina ferre, eaque omnia efficere, sine quibus finis, externa nempe securitas obtineri nequit.

Con-

Consequitur ex his, Praetores, Praesides, Magistratus Provinciae Praepositos, aut armorum Duces, qui sunt in praesidiis, injussu Imperantis bellum non posse decernere, si id non habeant in mandatis; posse vero in repentino tumultu, imo & ex officio debere hostium vim propellere, si vires adsint: id enim poscit officium tutelae Provinciae. Quin & populi ipsi ex ingenito tutelae jure vim hostium repentinam cohibere, eosdem persequi, ac male mulctare possunt. Consequitur 2. summum esse nefas illud tumultuum genus; quod vulgo belli civilis nomine venit, quod nempe cives inter se, vel cum ipsa Rep. gerunt. 3. quoniam ubi ex una parte jus adest, ex altera nascitur obligatio, hinc tenentur militiae nomen dare qui leguntur cives; iique castra non deserere, stationem servare etiam cum vitae periculo, manus cum hostibus conserere, a militia ante condictum tempus non abscedere, Ducibus ad oculum obtemperare ex justitia debent.

214. Quando ad arma semel ventum est, in justo bello omnia in hostem licent, sine quibus nec tueri jus nostrum possumus, nec res tueri, dum ne ex illarum rerum sint genere, quas natura prohibet, aut singularia gentium jura excipiunt. Id vero obtineri nequit, nisi hostis eum in statum redigatur, ut vel non possit, vel nolit amplius hostilem animum ostendere. Quare licebit hostem vi petere, in acie igne ferroque perdere, armis, commeatu, opibus, personis spoliare, ejus populari agros, solo aequare urbes, milites abducere captivos, stratagematibus circumvenire, cessantibus etiam omnibus humanitatis officiis, quae possent hostem validiorem efficere. Contra vero nefas est magicis uti artibus,

tibus, seu quae hosti noceant; seu quae armorum impetus obtundant: id enim Natura omnimodis vetat (§. 146. P. I.). Injustum quoque deditiios occidere, crudelitate, stupris, similibusque sceleribus ex militari licentia delectari.

215. Confundi non debent stratagemata cum perfidia: hostem vincere dolo bono, atque improviso astutiae actu, licet; haec siquidem circumventio non modo cum justitia, sed et cum laude, & jucundo conjuncta est compendio, uti loquitur Plutarchus: at vero fidei obtentu fallere, iniquum est. Quid si hostis antea fidem fefellerit; licebitne, data occasione, par pari referre, juxta effatum illud, *frangenti fidem fides frangatur eidem?* Non idcirco licebit decipere: alterius enim perfidia nostram non excusat. Sane unius paciscentis perfidia alterum obligatione liberat in uno eodemque pacto. Si vero iterum paciscimur cum eo, qui pacto non stetit, tunc priorem perfidiam remisisse censemur, ut idcirco novis standum sit pactis. Nec facile illud ausim adfirmare, annonam, fontes, arma veneno posse infici citra iniquam deceptionem cultarum gentium moribus repugnantem: sane barbari id faciunt; populi vero humaniores abstinent. Equidem & in bellis servandum est decorum.

216. Inter eos, quibuscum bellum gerimus, sunt saepe, qui nullo sunt animo in nos hostili; sunt alii viribus, sexu, aetate imbelles: hos igitur neci destinare, vulneribus, contumeliis, aliove damni genere afficere ex animi proposito, iniquissimum fuerit. Attamen quamdiu jus nostrum prosequimur, & in hominum permistione innocentes ab hostibus discernere non datur, ab adgressione desistere non tenemur, & inno-

cen-

centium mortem permittimus, non vero deliberata voluntate expetimus. In eorum quoque fortunas plus juris exercemus: illae siquidem reddere possent suos cives nobis hostes validiores; quare & eas innocentibus dominis eripimus.

217. *Hosti in hostem omnia licere in infinitum*, vetus est adagium; quod tamen non aliter intelligendum, quam supra explicuimus, & donec hostis ad satisfactionem sit paratus: non vero quod possit quis omni scelerum genere impune adversus hostem uti, aut animo laedendi modum nullum imponere; alias homo brutis ipsis esset deterior.

218. Quomodo per justum bellum adquiratur, & quo jure, diximus; res quoque occupatas sub imperio habere licet, quousque hostis ad jus & fas redigatur, necnon belli impensis, sceleribusque in nos patratis plene fuerit satisfactum: nihil ultra hos cancellos. Res fixae, aut mobiles, personaeque recuperatae postliminii jure gaudere debent.

219. Represalias esse justas sive ex jure gentium voluntario, uti censet Grotius lib. III. cap. 2. de J. B. & P., sive ex jure naturali gentium negotiis adplicato, uti sentit Barbeiracius ad eum Grotii locum, omni vacat controversia: Non utendum tamen represaliis sine summi Imperii auctoritate, tum quia privata vis est interdicta, tum quia haud raro bellis dant occasionem. Non est autem retinendum ex rebus interceptis plus quam ad debitum exsolvendum est satis, ne jus in injustitiam degeneret. Is demum, cujus intercepta sunt bona, regressum habet adversus debitorem; quare & petere potest, ut jura sibi a Creditore cedantur, quo ex jure etiam cesso adversus debitorem agere possit.

Quod

Quod si debitor solvendo non sit, Civitas, quae negligentia sua effecit, ut alicui suorum insonti represaliarum jure damnum daretur, illud tenebitur resarcire.

220. Induciae ad belli statum pertinent, utut longissimae eae sint, e. g. centum annorum, eo quia certandi manet propositum, pax vero debet esse perpetua; & quae *pacificae* dicuntur induciae nil innuunt aliud, nisi per plures annos nullas fieri militares expeditiones. In particularibus induciis aliquae tantum excipiuntur actiones: sic dantur induciae tantum permutandorum captivorum, aut humandorum cadaverum, aut colloquii causa: ubi nihil immutandum. Interdum dantur obsessis, tantum ne oppugnentur; idque nihil prohibet, quin intercipiantur auxilia, eorum commeatus. Alias personis cavetur, non item rebus; & vicissim. Quoniam induciae pactis ineuntur, sancte servandae sunt. Privatorum autem offensiones non rumpunt inducias, nisi publica accesserit adprobatio; censetur autem illa accedere, si non puniantur qui deliquerint, si res non reddantur, si demum negetur satisfactio: tunc enim pro damni gravitate vel represaliis uti, vel bellum instaurare licebit.

221. Inter externa Imperantium jura est illud foederum pangendorum, *v. g.* de jure hospitii, de libero commeatu, de commerciis; ut una gens alteram bello implicatam subsidiariis copiis juvet, ne bello se interponat, ne injussu alterius alicui bellum inferat, & quae sunt id genus alia, quibus Reip. securitati, commodisque consulitur. Ea variis legibus iniri possunt, ut cetera pacta privata; & adeo sancte servanda sunt, ut pacta servari debere diximus (§.331.P.I.);

hinc

hinc & quae causae privata pacta invalidant, aut cum ineuntur, aut quum inita sunt, eaedem foedera irritant.

222. Foedera iniri solent vel in gratiam Imperantis, vel in Reip. utilitatem: illa personalia sunt, & cum persona exspirant; haec realia, & extinctis etiam Imperantibus, perdurant. An & sociis prosunt foedera? Ajo. enimvero, si sociorum ac foederatorum facta sit mentio, sive nominatim, sive generatim: in primo casu non ad alios proferendum est foedus, nisi ad eos, qui speciatim fuerunt nominati; in altero ad omnes, qui tempore icti foederis socii erant, non vero ad alios, qui postea accesserunt, de quibus ne poterat quidem cogitari. An & cum infidelibus, aliisve Catholicae Religioni non addictis foedera pangere licebit? Affirmo, si res christiana nihil inde detrimenti factura videatur; si secus, non licebit: sanctior est enim Christi religio, quam ut ejus ruinis aliqnid utilitatis capere debeat civitas. Diserte Deus ad Moysem Exod. XXXIV. *Cave ne unquam cum habitatoribus terrae illius* (nempe falsorum numinum cultoribus) *jungas amicitias; quae sint tibi in ruinam.*

223. Foedere pacis finiuntur bella; admitti solent *mediatores*, qui belligerantes aequis conditionibus inter se concilient. Quoniam initur hoc foedus per modum transactionis, hinc neque conditionum aequalitas debet habere locum, nec querela laesionis utut enormissimae, neque exceptio metus: potest enim victor qualescumque conditiones licet duriores ferre, quas admittere tenetur victus, ne pereat; metusque a victore in justo bello incussus non est injustus. Abesse tamen debet omnis dolus, & cavillatio, aut

aut vis aperta, quibus omne pactum vitiatur (§. 336. 337. P. I.). Sic insignis cavillator erat Q. Fabius Labeo, qui, quum Antiochus Rex dimidiam navium partem Romanis tradere deberet, omnes ejus naves productas medias dissecuit, ut Antiochum tota classe spoliaret, apud Valer. Max. VII. 3. Pari perfidia, apertaque vi Galli Senones Romanis mille auri pondo; pro eo ac transegerant, appendentibus, non modo iniqua pondera attulerunt, sed ponderi etiam gladium addiderunt, dicentes *vae victis esse*, apud Liv. V. 48. Accedunt quandoque huic foederi *sponsores pacis*, qui nempe pro paciscentibus spondent, atque ex pacto ipsis obligantur. Eorum est dare operam, ut pacis leges ex utraque parte sarcta tecta serventur, & laesae parti ope, consilio, quin & promissis copiis subvenire.

224. Obsides aut sponte se dant, aut inviti dantur ab Imperante, qui & reluctantes dare potest: priore casu ex suo consensu obligantur; posteriore ex conventione inter suum, & alterum, quocum pax fuit inita, Imperantem. Oppignorant obsides libertatem, ac bona; ut proinde occidi nequeant, si pax sine eorum culpa rupta fuerit, tum quia vitam oppignorare haud potuerint (§. 175. P. I.); tum quia ob alienam perfidiam haud fas est innocentem occidere. An vero fugere licebit obsidi? Negat omnino Grotius lib. III. de J. B. & P. cap. 20.; si obses hosti sponte se sua ab initio, sive postea, quo laxius haberetur; fidem dederit: concedit vero; si invitus a sua civitate sit datus, quum nec ipse se, nec Civitas sua ipsum obligaverit, ne fugeret; sed hosti dedit facultatem qualis vellet custodiae. Illud autem certum est, non licere Civitati fugientem obsidem veluti

uti postliminio recipere. Nam sicuti pignus semel datum, si in manus redierit debitoris, restituendum est creditori, cui fuit surreptum, eo quia in securitatem fuit datum (§. 435. P. I.); ita & obses, qui fugiendo sui furtum facit, et in suam revertitur Civitatem. Unde Claelia obside fugiente, recte poscebat Porsena, ut obses dederetur; si dedita non fuerit, pro rupto se foedus habiturum comminatus; recte Romani hoc pignus ex pacis foedere restituerunt, apud Liv. lib. II. 13.

225. Ad pangenda foedera, aliasque procurandas Reip. utilitates mittuntur Oratores & Legati. Quum enim summi Imperantes ob locorum distantiam, gerendarum rerum multitudinem, aliasque ob causas ipsi per se in congressum venire non possint; id per internuncios agant, oportet, ut proinde iis jus esse debeat mittendi Legatos. Hi vero Principis personam repraesentant, eaque tractant, quae ad communem pertinent utilitatem; ut idcirco sacrosancti sint, oporteat. Quare cautum est gentium moribus, ut non modo incolumes admittantur, ac dimittantur, sed etiam securi praestentur a Rep., apud quam legatione funguntur, sintque ab ejusdem jurisdictione immunes, & quae in mandatis acceperunt, gerere nullo periculo possint. At non idcirco adversus eam Remp. hostile aliquid iis moliri licet; quod si tale aliquid fuerint ausi, queri haud poterint, si eos aditu arceat, vel finibus excedere jubeat Resp., quae hostem recipere non cogitur. Quod vero spectat ad reliqua Legatorum privilegia, ea ex populorum pactis, moribusque sunt aestimanda.

quium. Is quippe summus est superior, cui omnes submisimus voluntates; is pro nostra & publica salute excubat; is totius Civitatis est vinculum, quo salvo, nobis licet esse beatis; eoque dissoluto, undique chaos, miseria, malum; is est Dei Vicarius, Deique vice judicat, unde & *civilis quaedam adoratio* ei debetur, ac *Divi* nomen eidem tribuitur, ac *sacrosanctus* merito appellatur. Hinc mos est probatus ac pervetustus flexo genu ejus dexteram osculandi, quod Graeci *dextram adorare* dicunt. Boni itaque cives summa observantia, omnique honoris significatione suos Imperantes colent, eorum jussis ac legibus promte obtemperabunt, tamquam *Servatores* ac *Patres* patriae impense diligent, eorum felicitati pro virili studebunt, pulchrumque ducent pro illorum salute vel ipsam vitam effundere, ac vel unum *perduellionis* infamissimum nomen exhorrebunt.

232. De officiis erga patriam perbelle scribit Cicero lib. I. de offic. XVII. *Quum omnia ratione, animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam quae cum Rep. est unicuique nostrum: cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Celebre est illud Horatiarum, *dulce est pro patria mori*. Quod tamen vexat Jo: Clericus Art. Crit. II., ubi ait nescire homines, quid hoc patriae vocabulo intelligant, quod vel pro gleba, & agro, in quo nati sumus, vel pro hominibus in ea gleba degentibus sumi potest: si primum, jam stultum est dulce esse pro hac, vel pro illa gleba mori; si alterum, plerique hominum stulti sunt, ac mali, pro quibus ani-

mani profundere, ridiculum foret. Inepte. Nam patria non est, neque ager, nec coetus hominum in eo degentium, sed est illa civilis societas, a cujus salute nostrum omnium pendet salus quaeque omnes complectitur caritates, in ejusque vinculo solo vita, libertas, dignitas, fortunaeque nostrae continentur. Sane Jeremias scribens ad Judaeos Babylone captivos, ait, *quaerite pacem Civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis*. Numquid reponere potuissent miserrimi ii captivi; an oremus pro gleba Babylonis, pacemque oremus pro tot idololatris, impuris, lascivis, latronibus, quibus differta est ea civitas? Interim jubet Deus orandum Judaeis pro Rep. Babylonica, qua salva, et ipsi salvi sint futuri.

233. Officia erga concives ex communi Civitatis fine facile est colligere. Nempe ad beate vivendum in Civitate, mutuus inter cives amor, mutua concordia intercedat, oportet. Hinc 1. officia omnia de nemine laedendo, de jure suo cuique tribuendo, item mutui auxilii sancte sunt custodienda. 2. Quamvis haec officia & exteris debeamus; potiore tamen loco habendi sunt ii, quibuscum arctiore societatis vinculo conjungimur, ut eos prae aliis sincera caritate, ac benevolentia complectamur. 3. Felicem Remp., cui tales obtingant cives! Felices cives, quibus talium sociorum datur consortio perfrui!

234. Specialia civium officia derivanda sunt ex fine muneris, quo ipsi in Rep. funguntur: nempe obligati sunt cives ad ea omnia facienda, quae sui muneris fini conveniunt, eaque omnia omittenda, quae eidem fini adversantur. Hinc & ejus muneris scientia in primis est necessaria:

ria: nemo enim insidere audet equo, quem tractare nescit. Specialibus officiis tamdiu aliquis tenetur, quamdiu munus gerit; generalibus, quamdiu est civis.

235. Civis autem quis esse desinit 1. quum civitas cuncta dissolvitur, seu id communi consensu, seu pestilentia, bello aliove sinistro casu eveniat, quemadmodum accidit Judaeis: nemo enim corporis non amplius extantis membrum esse potest. Quod si forte pauci illi superstites statum suum tantisper tueantur, dum in justi populi numerum iterum excreverint; quamvis exilis, stabit tamen Resp. 2. ubi aliquis, legibus discedere non prohibentibus, a civitate emigraverit, lares alibi constituturus. 3. si ab ipsa civitate in perpetuum ejiciatur exilium, eique aqua & igne interdicatur; quae apud Romanos maxima erat capitis diminutio. Id tamen non est dicendum de relegatis, maxime si fundos in civitate possident; nec de interdictis, qui in certum locum Reip. nostrae subjectum deportantur.

236. Summorum Imperantium officia brevi oratione complectemur, quippe quae ex juribus Majestatis facile deducuntur. Quidquid ad Reip. securitatem externam, internamque pertinet, id ad officium summi Imperantis pertinere censetur; atque hoc *generale* officium dici potest.

237. Inde vero sequitur primum speciale officium, cognitio nempe eorum omnium, quae ad bene Remp. administrandam sunt necessaria. Erunt itaque Principis studia 1. pietatis, tum quia nihil recte fieri potest sine illa; tum quia persuasus esse debet, quum neminem superiorem in terris habeat, superiorem habere Deum,

qui

Quod si debitor solvendo non sit, Civitas, quae negligentia sua effecit, ut alicui suorum insonti represaliarum jure damnum daretur, illud tenebitur resarcire.

220. Induciae ad belli statum pertinent, utut longissimae eae sint, e. g. centum annorum, eo quia certandi manet propositum, pax vero debet esse perpetua; & quae *pacificae* dicuntur induciae nil innuunt aliud, nisi per plures annos nullas fieri militares expeditiones. In particularibus induciis aliquae tantum excipiuntur actiones: sic dantur induciae tantum permutandorum captivorum, aut humandorum cadaverum, aut colloquii causa: ubi nihil immutandum. Interdum dantur obsessis, tantum ne oppugnentur; idque nihil prohibet, quin intercipiantur auxilia, eorum commeatus. Alias personis cavetur, non item rebus; & vicissim. Quoniam induciae pactis ineuntur, sancte servandae sunt. Privatorum autem offensiones non rumpunt inducias, nisi publica accesserit adprobatio; censetur autem illa accedere, si non puniantur qui deliquerint, si res non reddantur, si demum negetur satisfactio: tunc enim pro damni gravitate vel represaliis uti, vel bellum instaurare licebit.

221. Inter externa Imperantium jura est illud foederum pangendorum, *v. g.* de jure hospitii, de libero commeatu, de commerciis; ut una gens alteram bello implicatam subsidiariis copiis juvet, ne bello se interponat, ne injussu alterius alicui bellum inferat, & quae sunt id genus alia, quibus Reip. securitati, commodisque consulitur. Ea variis legibus iniri possunt, ut cetera pacta privata; & adeo sancte servanda sunt, ut pacta servari debere diximus (§.331.P.I.);

hinc

hinc & quae causae privata pacta invalidant, aut cum ineuntur, aut quum inita sunt, eaedem foedera irritant.

222. Foedera iniri solent vel in gratiam Imperantis, vel in Reip. utilitatem: illa personalia sunt, & cum persona exspirant; haec realia, & extinctis etiam Imperantibus, perdurant. An & sociis prosunt foedera? Ajo enimvero, si sociorum ac foederatorum facta sit mentio, sive nominatim, sive generatim: in primo casu non ad alios proferendum est foedus, nisi ad eos, qui speciatim fuerunt nominati; in altero ad omnes, qui tempore icti foederis socii erant, non vero ad alios, qui postea accesserunt, de quibus ne poterat quidem cogitari. An & cum infidelibus, aliisve Catholicae Religioni non addictis foedera pangere licebit? Affirmo, si res christiana nihil inde detrimenti factura videatur; si secus, non licebit: sanctior est enim Christi religio, quam ut ejus ruinis aliquid utilitatis capere debeat civitas. Diserte Deus ad Moysem Exod. XXXIV. *Cave ne unquam cum habitatoribus terrae illius* (nempe falsorum numinum cultoribus) *jungas amicitias, quae sint tibi in ruinam*.

223. Foedere pacis finiuntur bella; admitti solent *mediatores*, qui belligerantes aequis conditionibus inter se concilient. Quoniam initur hoc foedus per modum transactionis, hinc neque conditionum aequalitas debet habere locum, nec querela laesionis utut enormissimae, neque exceptio metus: potest enim victor qualescumque conditiones licet duriores ferre, quas admittere tenetur victus, ne pereat; metusque a victore in justo bello incussus non est injustus. Abesse tamen debet omnis dolus, & cavillatio,

aut

aut vis aperta, quibus omne pactum vitiatur (§. 336. 337. P. I.). Sic insignis cavillator erat Q. Fabius Labeo, qui, quum Antiochus Rex dimidiam navium partem Romanis tradere deberet, omnes ejus naves productas medias dissecuit, ut Antiochum tota classe spoliaret, apud Valer. Max. VII. 3. Pari perfidia, apertaque vi Galli Senones Romanis mille auri pondo, pro eo ac transegerant, appendentibus, non modo iniqua pondera attulerunt, sed ponderi etiam gladium addiderunt, dicentes *vae victis esse*, apud Liv. V. 48. Accedunt quandoque huic foederi *sponsores pacis*, qui nempe pro paciscentibus spondent, atque ex pacto ipsis obligantur. Eorum est dare operam, ut pacis leges ex utraque parte sarcta tecta serventur, & laesae parti ope, consilio, quin & promissis copiis subvenire.

224. Obsides aut sponte se dant, aut inviti dantur ab Imperante, qui & reluctantes dare potest: priore casu ex suo consensu obligantur; posteriore ex conventione inter suum, & alterum, quocum pax fuit inita, Imperantem. Oppignorant obsides libertatem, ac bona; ut proinde occidi nequeant, si pax sine eorum culpa rupta fuerit, tum quia vitam oppignorare haud potuerint (§. 175. P. I.); tum quia ob alienam perfidiam haud fas est innocentem occidere. An vero fugere licebit obsidi? Negat omnino Grotius lib. III. de J. B. & P. cap. 20., si obses hosti sponte se sua ab initio, sive postea, quo laxius haberetur; fidem dederit: concedit vero; si invitus a sua civitate sit datus, quum nec ipse se, nec Civitas sua ipsum obligaverit, ne fugeret; sed hosti dedit facultatem qualis vellet custodiae. Illud autem certum est, non licere Civitati fugientem obsidem veluti

uti postliminio recipere. Nam sicuti pignus semel datum, si in manus redierit debitoris, restituendum est creditori, cui fuit surreptum, eo quia in securitatem fuit datum (§. 435. P.I.); ita & obses, qui fugiendo sui furtum facit, et in suam revertitur Civitatem. Unde Claelia obside fugiente, recte poscebat Porsena, ut obses dederetur; si dedita non fuerit, pro rupto se foedus habiturum comminatus; recte Romani hoc pignus ex pacis foedere restituerunt, apud Liv. lib. II. 13.

225. Ad pangenda foedera, aliasque procurandas Reip. utilitates mittuntur Oratores & Legati. Quum enim summi Imperantes ob locorum distantiam, gerendarum rerum multitudinem, aliasque ob causas ipsi per se in congressum venire non possint; id per internuncios agant, oportet, ut proinde iis jus esse debeat mittendi Legatos. Hi vero Principis personam repraesentant, eaque tractant, quae ad communem pertinent utilitatem, ut idcirco sacrosancti sint, oporteat. Quare cautum est gentium moribus, ut non modo incolumes admittantur, ac dimittantur, sed etiam securi praestentur a Rep., apud quam legatione funguntur, sintque ab ejusdem jurisdictione immunes, & quae in mandatis acceperunt, gerere nullo periculo possint. At non idcirco adversus eam Remp. hostile aliquid iis moliri licet; quod si tale aliquid fuerint ausi, queri haud poterint, si eos aditu arceat, vel finibus excedere jubeat Resp., quae hostem recipere non cogitur. Quod vero spectat ad reliqua Legatorum privilegia, ea ex populorum pactis, moribusque sunt aestimanda.

quium. Is quippe summus est superior, cui omnes submisimus voluntates; is pro nostra & publica salute excubat; is totius Civitatis est vinculum, quo salvo, nobis licet esse beatis; eoque dissoluto, undique chaos, miseria, malum; is est Dei Vicarius, Deique vice judicat, unde & *civilis quaedam adoratio* ei debetur, ac *Divi* nomen eidem tribuitur, ac *sacrosanctus* merito appellatur. Hinc mos est probatus ac pervetustus flexo genu ejus dexteram osculandi, quod Graeci *dextram adorare* dicunt. Boni itaque cives summa observantia, omnique honoris significatione suos Imperantes colent, eorum jussis ac legibus promte obtemperabunt, tamquam *Servatores* ac *Patres* patriae impense diligent, eorum felicitati pro virili studebunt, pulchrumque ducent pro illorum salute vel ipsam vitam effundere, ac vel unum *perduellionis* infamissimum nomen exhorrebunt.

232. De officiis erga patriam perbelle scribit Cicero lib. I. de offic. XVII. *Quum omnia ratione, animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam quae cum Rep. est unicuique nostrum: cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Celebre est illud Horatianum, *dulce est pro patria mori*. Quod tamen vexat Jo: Clericus Art. Crit. II., ubi ait nescire homines, quid hoc patriae vocabulo intelligant, quod vel pro gleba, & agro, in quo nati sumus, vel pro hominibus in ea gleba degentibus sumi potest: si primum, jam stultum est dulce esse pro hac, vel pro illa gleba mori; si alterum, plerique hominum stulti sunt, ac mali, pro quibus ani-

ria: nemo enim insidere audet equo, quem tractare nescit. Specialibus officiis tamdiu aliquis tenetur, quamdiu munus gerit; generalibus, quamdiu est civis.

235. Civis autem quis esse desinit 1. quum civitas cuncta dissolvitur, seu id communi consensu, seu pestilentia, bello aliove sinistro casu eveniat, quemadmodum accidit Judaeis: nemo enim corporis non amplius extantis membrum esse potest. Quod si forte pauci illi superstites statum suum tantisper tueantur, dum in justi populi numerum iterum excreverint; quamvis exilis, stabit tamen Resp. 2. ubi aliquis, legibus discedere non prohibentibus, a civitate emigraverit, lares alibi constituturus. 3. si ab ipsa civitate in perpetuum ejiciatur exilium, eique aqua & igne interdicatur; quae apud Romanos maxima erat capitis diminutio. Id tamen non est dicendum de relegatis, maxime si fundos in civitate possident; nec de interdictis, qui in certum locum Reip. nostrae subjectum deportantur.

236. Summorum Imperantium officia brevi oratione complectemur, quippe quae ex juribus Majestatis facile deducuntur. Quidquid ad Reip. securitatem externam, internamque pertinet, id ad officium summi Imperantis pertinere censetur; atque hoc *generale* officium dici potest.

237. Inde vero sequitur primum speciale officium, cognitio nempe eorum omnium, quae ad bene Remp. administrandam sunt necessaria. Erunt itaque Principis studia 1. pietatis, tum quia nihil recte fieri potest sine illa; tum quia persuasus esse debet, quum neminem superiorem in terris habeat, superiorem habere Deum,

qui

241. Quintum est circa Ministros, & Magistratus, a quibus Principis, ac Reip. salus potissimum pendet. Augusti summa fuit felicitas, quod Agrippam & Maecenatem haberet adjutores. Itaque neminem ad ministerium vocet Princeps, nisi muneri suo parem futurum; viros probatae fidei eligat; eorum acta diligenter inspiciat, & male agentes puniat; civium querelas audiat; consiliis intersit, rationes suffragantium, aut Consiliariorum expendat.

242. Sextum est conservatio unionis civium, quorum omnium voluntates summi Imperantis voluntati subditae esse debent. Impediendae sunt itaque factiones, coitiones, & conventicula, quae factionibus aperiunt viam. Quare legibus omnium populorum civilibus vetitum est celebrari coetus, inscio Imperante. Apud nos nec monasteria construi, nec festa celebrari possunt, nisi ex Principis venia; quod sanctissime factum.

243. Septimum est tributorum cura ad ferenda Reip. onera; octavum est habere curam facultatum privatarum, ut gliscant, & augeantur: ita enim & imperanti in re trepida non deerit nervus rerum gerendarum. Ad hunc finem facit cives ita disponere, ut quantum fieri potest, uberes proventus terra marique capiant; artificia, & commercia promovere, eademque nimiis oneribus non gravare; otium omnimodis prohibere; improborum mendicorum, & vagabundorum audaciam coercere; importandarum & exportandarum rerum rationem habere.

244. Postremo, quoniam in civitatibus non satis fida pax esse solet, summorum Imperantium erit virtutem civium, armorumque peritiam alere,